Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/quaestiones0000lriv

L. RIVET S. I.

QUAESTIONES

IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI

TRACTATAE

IN UNIVERSITATE GREGORIANA

Ad usum privatum auditorum Universitatis Gregorianae

ROMAE 1912

5962

PRAENOTIONES

I. Iuris ecclesiastici notiones et divisiones.

Scopus Institutionum iuris ecclesiastici. — Nomine Institutionum in iure Romano designabatur pars quaedam collectionis authenticae iussu Imperatoris Iustiniani confectae, in qua totius legum scientiae prima elementa continebantur, quibus quasi sternebatur via Iuris studiosis ad completam hanc scientiam addiscendam. Talis brevis et authentica collectio in iure canonico non habetur; usus tamen invaluit ut praelectionibus iuris Decretalium, quae « Schola Textus » audiunt, praemitterentur *Institutiones* quaedam canonicae quibus principia et elementa scientiae iuris Ecclesiae continentur. Qui Scholae Textus interesse non possunt, praecipuas iuris canonici notiones inde haurire possunt, cuilibet viro ecclesiastico prorsus necessarias (1).

Ius autem ecclesiasticum, ex usu iam a saeculo XVIII inducto distinguitur in ius publicum et ius privatum. Quam divisionem, post traditas breves notiones et divisiones iuris ecclesiastici in specie, paulo longius explicabimus et rectam esse ostendemus.

Iuris universim sumpti notiones. — Variae afferuntur vocis « *ius* » significationes, apud auctores autem con-

(1) Wernz, Ius Decretalium, t. I, n. 1, 2.

Notandum. — In fine opusculi, Indici materiarum praeponetur Index auctorum et operum saepius allegatorum. Quando, in decursu harum Quaestionum, citabitur aliquis auctor, nomine operis non adiecto, intellegetur opus ibi indicatum : si plura, primum.

trovertitur quaenam ceterarum sit radix, sive etymologice sive etiam realiter et absolute.

Etymologice derivant multi vocem « *ius* » a vocabulo « *iussum* » ex verbo *iubere*, ita ut ius idem sit ac *praeceptum*, *imperatum*, *lex*. Inde ad varias extenditur significationes: sumitur pro *complexu legum*, unde habemus ius civile, ius ecclesiasticum; — pro *scientia legum*, unde dicuntur iurisperiti, iurisconsulti; pro *sententia* a iudice prolata, qua scilicet legem applicat ad casum particularem (*ius dicere, iurisdictio*, i. e. potestas dicendi *ius*); — immo et pro *loco* ubi ius dicitur, i. e. pro tribunali.

Alii vocem « *ius* » a « *iusto* » derivant. Sic ius idem est ac iustum, aequum, bonum. « Ius est dictum, quia iustum est », docet S. Isidorus ([1]) post S. Augustinum. Inde orta est ([2]) significatio illa iuris quae in usu hodierno tam frequenter adhibetur: *facultas moralis inviolabilis aliquid faciendi, omittendi, ab aliis exigendi.*

Si quaeratur quaenam inter significationes vocis « *ius* » sit ceterarum radix, respondent plures « ius » a « iussum » derivari non etymologice tantum, sed etiam *absolute* et *realiter*, seu quoad rem significatam, quia tandem omnis potestas moralis a lege saltem aeterna ultimatim repeti debet. Videtur tamen S. Thomas potius alteram significationem habere ut primariam. « Hoc nomen *ius* primo impositum est ad significandam ipsam rem *iustam* » ([3]). « Lex, addit Cathrein, dicitur *ius* quia est *norma* et *regula iuris* (iusti). Exinde autem quod alicui quidpiam ut *suum* competit, in eo oritur *facultas moralis agendi* vel *exigendi* » ([4]).

In uso hodierno legisperitorum, duae praesertim « *iuris* » acceptiones habentur, et distinguitur ius *obiectivum* et ius *subiectivum*. *Obiectivum* ius est complexus legum quibus aliqua societas perfecta ordinatur sive quoad totum suae potestatis exercitium (sic habetur ius Ecclesiae, ius Romanum,

([1]) 5 Etymol. c. 3.
([2]) cf. Suarez, De legibus, l. I, c. 2, n. 5.
([3]) 2a 2ae q. 57, a. 1, 1m.
([4]) Philos. moral. n. 226.

ius Italicum), sive quoad partem tantum (ius matrimoniale, commerciale, processuale, poenale, prout leges ibi contentae ad matrimonium, commercium, formam iudicii, poenas pertinent. Ius *subiectivum* est potestas moralis inviolabilis aliquid faciendi, omittendi, possidendi, ab aliis exigendi, sive in commodum proprium (ut est ius proprietatis, venationis, piscationis), sive etiam in commodum publicum (ut est, in magistratu, ius subditos regendi; in iudice, iustitiam reddendi).

41 Quae duo iura melius dicerentur ius *praeceptivum* (pro *obiectivo*) ius *dominativum* (pro *subiectivo*); appellatio enim iuris *subiectivi* facilem nunc praebet ansam perverso conceptui iuris, propter errores hodie cum voce « subiectivismus » connexas. Sicut enim plures intelligunt subiectivas cognitiones, perceptiones illas qui subiecto insunt, sed realitatem externam non attingunt, vel certo attingere non cognoscuntur; sic Legistae plures secernunt potestatem illam quam in subiecto ponunt ab omni relatione necessaria et reali cum ordine generali rerum mundanarum.

Qui errores inde nati sunt quod isti verum fontem et originem iuris non agnoscunt. Qui enim, cum *Hobbes*, omne iuris fundamentum ponunt in *conservatione propria* quocumque modo procuranda, vel qui cum *Pseudo-politicis* omne ius derivant a *voluntate* sive *Principum* sive *populi*, vel qui tandem, cum *Materialistis, Fatalistis* etc., omnino confundunt *ius* cum *potestate physica* et *violentia feliciter perpetrata* (1), facile eo deveniunt ut negent existere penes aliquem verum ius, nisi ipsi praesto sit potestas physica alios constringendi, ut ipsum sinant facere, omittere id quod intendit. Ius ergo subiectivum aliqua potestas physica erit; *subiectum verum iuris proprie dicti* ultimatim non erit nisi *societas civilis*, quae sola plene gaudet potestate *reali* et *physica* constringendi; *ceteri* omnes, immo ipsa *Ecclesia* nulla iura habet nisi quae a societate civili ipsi concedentur (2).

(1) Cf. Aichner Comp. iuris eccl. § 1.

(2) Cf. Leo. XIII, Encycl. Libertas, § Revera quo spectant. Syll. prop. 39.

Qui autem falsas et commentitias respuit theorias, et fontem seu originem omnis iuris habet Deum qui, mundum creans et ordinans, inter varias creaturas varias constituit relationes quas observari vult, statim videt hominem teneri in conscientia suo creatori obedire et has relationes observare, quaedam faciendo, omittendo, etc. E converso *debet posse* haec praestare quibus tenetur, quin ab alio impediatur, inde *ius* eius oritur, i. e. *potestas moralis inviolabilis* aliquid faciendi, omittendi; alii vero erga quos tenetur quaedam facere, omittere, habent etiam *ius* relate ad ipsum. Et haec prorsus sunt independentia a qualibet vi physica, quia solummodo pendent a voluntate Dei, seu a lege aeterna quae est, iuxta S. Augustinum « ratio vel voluntas Dei, *ordinem naturalem conservari* iubens, *perturbari* vetans » (1).

Si autem huiusmodi facultas moralis dicitur ius *dominativum*, intellegitur existere ad modum cuiusdam *dominii*, cuiusdam proprietatis quae omnino existit et retinetur etiam sine actuali et physica detentione rei. Verum ius enim requirit facultatem non physicam sed moralem aliquid faciendi etc.; et sufficit ut is qui per se exercere non potest facultatem illam, curare et moraliter exigere possit ut vis physica per alium exerceatur in suum favorem.

§ **Iuris ecclesiastici notiones et variae appellationes** (2). — Vox *ius* ibi sumitur sensu *obiectivo* et designat *complexum legum* quibus Ecclesia regitur. Ius ecclesiasticum, ait Wernz, est « complexus legum sive a Deo sive ab ecclesiastica auctoritate latarum, quibus Ecclesia catholica ordinatur ». Complectitur ergo leges ab ipsa Ecclesia latas pro potestate sibi a Christo data, et leges quibus a Christo fuit ordinata, i. e. complectitur simul ius *ab* Ecclesia et jus *pro* Ecclesia seu *circa* Ecclesiam conditum.

Pro ratione diversa *finis, auctoris, materiae,* diversa nomina sortitur ius ecclesiasticum, quae tamen ita accipi non debent quasi unaquaeque veram definitionem contineret

(1) Lib. XXII, contra Faust. c. XXVII.

(2) Cfr. Wernz, Ius Decretalium, t. I, n. 45 ss.

quae uni et soli definito conveniat. Dicitur enim ius *divinum*, ius *sacrum*, ius *pontificium*, communius vero ius *canonicum*.

Ius divinum dicitur ratione *auctoritatis* quae illud condit, quae est vel ipse Christus Deus, vel Ecclesia quae a Deo immediate auctoritatem legiferam obtinet; ratione etiam *materiae*, quia nobilior eius pars constat legibus a Christo latis. Verum est quidem omnem potestatem a Deo procedere, dicente S. Scriptura: « Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt » (1), et « Non est potestas nisi a Deo » (2); at haec in ordine naturali continentur, auctoritas ecclesiastica autem et leges a Christo conditae ordinem naturalem transcendunt et immediatae revelationi innituntur.

Ius sacrum. A fortiori vindicare sibi potest nomen iuris *sacri:* 1) ob naturam *auctoritatis* praecipientis; 2) ob *materiam*, cum leges ecclesiasticae, etiam quae a Christo non immediate procedunt, sint generatim de rebus sacris vel saltem de rebus ordinatis ad finem sacrum. Status enim civilis felicitatem tantum temporalem per suas leges intendit; Ecclesia vero etiam in rebus materialibus quibus uti debet, cuiusmodi sunt bona temporalia, semper felicitatem hominis spiritualem et supernaturalem contemplatur; unde etiam 3) ratione *finis* ius ecclesiasticum merito dicitur *sacrum*.

Ius pontificium appellatur ratione *auctoris praecipui* legum *humanarum* quibus regitur Ecclesia, qui est R. Pontifex.

Ius canonicum tandem appellatur ex nomine olim dato *formulis* illis brevibus quibus leges de *ecclesiastica disciplina* in Conciliis generalibus vel particularibus efferebantur: dicebantur enim κανόνες, i. e. regulae. Post Tridentinum et Vaticanum reservatur nomen « *Canonum* » formulis quibus errores in fide continentur quorum auctores anathemate plectuntur; quae olim « anathemata » dicebantur. Nomen « *decreta* » usu hodierno *legibus* de fide et moribus datur.

Iuxta veterem usum denominatio iuris canonici ad to-

(1) Prov. VIII, 15.
(2) Rom. XIII, 1.

tam legislationem ecclesiasticam extenditur, quamvis auctores aliqui, v. g. Phillips (1), ab illa appellatione excludere malint leges a Christo datas quae ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem pertinent (quas nos ius ecclesiasticum publicum vocamus), et nomen iuris canonici reservare solis legibus ab ipsa Ecclesia conditis. Communius tamen pro eodem sumuntur ius *canonicum* et ius *ecclesiasticum*, et designant totum complexum legum quibus Ecclesia regitur.

Divisiones iuris ecclesiastici (2). — Variis modis dividitur ius Ecclesiae ratione *originis*, *extensionis* seu ambitus, *formae*, *temporis*, *finis* etc.

Ratione *originis* distinguitur ius *divinum* quod a Deo immediate procedit sive per revelationem supernaturalem sive etiam per legem naturalem, et ius *humanum* quod auctores habet homines qui a Deo auctoritatem acceperunt, et complectitur ius *apostolicum*, *pontificium*, *conciliare*, *dioecesanum* etc.

Ratione ambitus, seu extensionis ad regiones vel fideles, dicitur: 1) *universale* vel *particulare*, prout totam Ecclesiam vel partem eius tantum regit, v. g. territoria quae S. C. de Prop. Fide subiecta sunt; 2) *generale* vel *singulare*, prout ad omnes fideles vel ad quasdam categorias, puta ad clericos, pertinet; 3) *commune* vel *speciale*, prout statuit regulam ordinarie servandam omnibus fidelibus aut omnibus his qui ad aliquam categoriam pertinent, v. g. omnibus clericis, vel aliquam exceptionem a regula decernit favorabilem (privilegium) aut odiosam.

Ratione formae habetur ius *scriptum*, quod a legislatore expressis verbis conditum, tabulis consignatum et promulgatum est; et ius *non scriptum*, quod ab ipso legislatore saltem scripto datum et promulgatum non est, v. g. jus consuetudinarium, quod consuetudine est introductum.

Ratione *temporis* distinguitur ius *antiquum*, a fundatione Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani exclusive, ius

(1) Kirchenrecht, t. I § 3.

(2) Wernz, Ius Decret. t. I, n. 50.

x Schmalz. t. I, Procem. n. 178 limits "scriptum" sensu latiori pro "expresse praeceptum"; jus "non scriptum" habetur, si legislator tantummodo "connivet, ut usu jus aliquod introducatur".

novum a Gratiano ad Tridentinum exclusive, ius *novissimum* a Tridentino usque ad nostra tempora. Melius forte diceretur ius *Medii Aevi*, ius a Gratiano ad Tridentinum, ius *novum* a Tridentino et infra.

Aliis relictis divisionibus, magis insistendum est in divisione iuris ecclesiastici in *publicum* et *privatum*. Non sumuntur appellationes illae ratione *originis* seu causae efficientis, quatenus ius auctoritate *publica* vel pactis *privatis* constituatur, nec ratione *extensionis*, quatenus omnibus *commune* vel e contra aliquibus *particulare* sit, at ratione *finis*. Sic rem considerando « ius publicum dicitur quod *ad utilitatem publicam directe*, *principaliter* et *immediate* est constitutum, ... (privatum ius) *singulorum utilitatem principaliter* et *immediate* respicit ». (Schmalz. Dissert. proaem. n. 147). Notatu digna sunt verba illa *directe*, *principaliter* et *immediate*, nam *indirecte, secundarie, mediate* utilitas publica in privatos redundat et privata vicissim ad bonum publicum confert.

Divisio iuris ecclesiastici in publicum et privatum desumpta est ex Digestis et Institutionibus Iustinianeis quae ab Institutionibus Ulpiani eam mutuatae sunt. Sic enim in Digestis habemus: « Huius studii (nempe Iuris) duae sunt positiones: publicum et privatum. Publicum ius est quod ad statum rei Romanae spectat; privatum, quod ad singulorum utilitatem: sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim. Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit » [L. 1 § 2 ff. De iust. et iure (I. 1)].

Quae Ulpiani divisio, si rite explicatur, apte iuri canonico accommodatur; restringitur tamen apud nos extensio vocis iuris *publici*. Ad statum Reipublicae spectat, ut alter iurisconsultus explicat, id quod « ens Reipublicae tuetur ac constituit . . . . Dicuntur . . res ad statum Reipublicae pertinere, sine quibus aut civitas constitui aut constituta stare incolumis non potest. Id enim statum cuiusque rei vocamus, quo res stat et et sine quo non consisteret » (1). Id nunc

(1) Donellus, Comment. ad ius. civ. l. 2, c. 5 § Publicum.

solet vocari ius *constituens* alicuius Status. Sumendo ergo definitionem Ulpiani sic intellectam, videmus eam non discrepare a conceptu quam communiter sibi Canonistae hodierni efformant de iure ecclesiastico publico. Ius publicum, ait Card. Tarquini (1), est « legum systema, quibus Ecclesiae constitutio definitur » seu leges per quas eo ordine constituitur eaque potestate instructa est Ecclesia, ut et finem suum obtinere et semetipsam conservare possit (cf. Dönellum supra cit.).

Quae autem addit Ulpianus de extensione iuris publici, quod scilicet « in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit » non ita stricte iuri ecclesiastico applicamus. Pro more enim auctorum hodiernorum restringimus ius publicum Ecclesiae ad ea quae essentialem et fundamentalem eius constitutionem determinant, immo ad solas leges Ecclesiae constitutivas quae ab ipso Christo sunt latae. Sic tandem, nomine iuris ecclesiastici publici, nec omnes leges a Christo datas complectimur (v. g. quae de sacramentis sunt, excludimus), nec omnes leges quae ad constitutionem Ecclesiae pertinent (plures enim originem habent humanam, v. g. de potestate Patriarcharum, Primatum), sed leges solas quae *simul* a *Christo* sunt datae et ad *fundamentalem* Ecclesiae *constitutionem* pertinent.

Recte autem admittitur existere ius quoddam ecclesiasticum *privatum:* sunt enim plures leges quae *immediate* bonum privatorum spectant, qualia sunt iura sacramenta recipiendi. Quibus insuper, propter restrictionem vocis iuris Ecclesiae publici, ut supra fuit adnotatum, omnes leges addimus quae non pertinent ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem, prout a Christo ordinata est.

Materia iuris ecclesiastici publici duas potissimum quaestiones complectitur: 1) *quid possit* Ecclesia, seu quae potestas ad finem suum consequendum sit ipsi a Christo attributa; 2) *penes quem* vel *quos* resideat haec potestas. Aliis verbis quaestiones duae sunt, nempe de *obiecto* et de *subiecto*

(1) Iuris eccl. publ. Institut. n. 3.

potestatis. Et in prima quaestione consideranda erit 1) constitutio interna Ecclesiae, seu relationes cum membris suis, et 2) relationes Ecclesiae cum aliis societatibus et personis ipsi extraneis. Quaestio de subiecto potestatis Ecclesiae, utpote quae late evolvitur in Theologia fundamentali, brevius expediri solet et a nobis omnino relinquetur.

II. De notionibus et divisionibus societatis in genere.

§ Definitio. — « Societas definiri solet plurium conspiratio ad communem finem obtinendum inita » (1). Ad societatem efformandam requiritur *pluralitas* entium *rationalium*, qui *in communi* actiones suas *conferunt* ut *finem* aliquem obtineant.

Pluralitas quidem requiritur, nam nulla est societas unius cum seipso; non autem intelligitur societas nisi inter entia *rationalia* quae sola « finem propter quem sociantur apprehendunt, atque ad illum obtinendum una cum aliis actiones suas collineant » (2). Inter animalia irrationalia non existit societas veri nominis, at metaphorica tantum.

At praeter pluralitatem entium rationalium, requiritur *vinculum* aliquod quo ad *unitatem* redigantur, quod esse nequit tempus vel locus, quibus ligari non possunt intelligentiae et voluntates humanae: hae non nisi per verum et bonum stringi et colligari possunt. « Quoties ergo multa entia moralia, cognitione unius et eiusdem veri necessitabuntur ut simul bonum persequantur quod in illo vero apprehenditur, dicere licebit unitatem inter illos haberi. Unitas finis ex unitate cognitionis orta unitatemque voluntatis generans, talis est essentialis societatis idea » (3).

Cum ad finem obtinendum requirantur media, consensus in finem obtinendum exigit consensum in adhibenda media.

(1) Wilmers, De Christi Ecclesia, n. 1.
(2) Liberatore, Ius naturale, P. II, Introduct.
(3) Taparelli, Saggio di diritto naturale, n. 304.

Tandem consensus ille voluntatum *firmus constansque* esse debet, scilicet debent inter varia societatis membra existere *relationes iuridicae* quae in obligatione membrorum tendendi ad finem societatis, et in iure societatis exigendi a singulis membris ut ad finem tendant, consistit. Procurare consensum et harmoniam, ordinare iuridicas has relationes est munus auctoritatis « quae proinde semper in societate requiritur et ad essentialem eius conceptum pertinet » (1). Unde Leo XIII: « Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quae non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore » (2).

Unde tandem elementa analytica societatis humanae sunt *unitas finis, harmonia mentium, concordia voluntatum, coordinatio mediorum* sub ductu *auctoritatis*. Multitudo seu pluralitas est quasi elementum *materiale* et minus determinatum, cum ipsa hominum multitudo de se sit indifferens ad hunc vel illum finem obtinendum. Elementum *formale*, magis determinatum, est concordia, coniunctio voluntatum in eumdem finem conspirantium, sub auctoritatis ductu. Quae simul sumpta dici possunt elementum *formale*, ita tamen ut inter haec *finis* primum sibi vindicet locum. Cur enim *conveniunt* inter se plures homines? ad scientiam colendam, divitias augendas, etc., i. e. ad aliquem *finem*. Undenam *electio* talium *mediorum*? ratione talis *finis*. Unde *tales obligationes* iurave? ratione talis *finis*. Cetera omnia a fine, finis non a ceteris dependet.

Ipsa etiam *auctoritas*, quae dici potest *forma*, quatenus unitatem illam tuetur quae necessaria est ut societas sit, ipsa quoque ex fine determinatur. Adde quod auctoritas potius est proprietas ab essentia societatis dimanans quam elementum eius essentiale: elementa enim existunt, adunantur et

(1) Liberatore, l. c.
(2) Encycl. « Immortale Dei », § Non est magni.

quodam modo iam societatem constituunt, quando exsurgit necessitas auctoritatis ut societas haec conservetur.

Divisiones societatis. — Multiplices societatis divisiones praesertim ex consideratione finis deducuntur, ad quem societas ordinatur. Breviter expeditis divisionibus minoris momenti pro re nostra, insistemus in illas quae magis directe ad tractatum iuris ecclesiastici pertinent.

Societas dicitur: 1) *simplex* (seu inorganica) vel *composita* (organica), prout membra eius sunt personae individuae vel corpora (seu societates) iam constituta, ut familiae; 2) *aequalis* vel *inaequalis*, si socii iisdem gaudent iuribus vel diversis; 3) *completa* vel *incompleta*, prout scopus eius est totum hominem perficere (ut familia), vel secundum quid tantum (sic societas litteraria).

4) *Stabilis* vel *transitoria*, prout habet vel non, ex natura sua, perpetuitatem aliquam; sic societas matrimonialis est stabilis, commercialis est transitoria.

5) *Religiosa* vel *profana*, prout aliquod bonum ad Deum pertinens aut finem temporalem et mundanum intendit.

Sed praecipue attendendae sunt divisiones sequentes.

6) Societas est *publica* vel *privata*, prout bonum publicum vel bonum privatum *directe, immediate* et *principaliter intendit*. Dicimus directe etc., nam nullo modo negatur, immo asseritur redundantia boni publici in privatum bonum et vicissim. Exercitus est societas publica, nam non intenditur commodum vel fortuna aliquorum quam revera inde procurari continget, at directe et principaliter defensio territorii, ordinis publici tuitio; societas negotiatoria intendit directe bonum sociorum ut est bonum privatum; etsi enim copia bonorum singulorum sociorum ad prosperitatem nationis conferre possit, haec tamen non immediate et principaliter a sociis intenditur. Inde etiam haec sequela habetur quod, quando bonum ad quod procurandum inita est societas, v. g. pecunia pro societate negotiatoria, adhuc in communi possidetur, destinatione tamen iam ad singulos socios pertinet, qui huius pecuniae sunt domini.

Duae praesertim existunt societates publicae: *civilis* et

ecclesiastica. At ecclesiastica simul bonum publicum et bonum privatum singulorum fidelium intendit. Ut est societas, Ecclesia est sponsa mystica Christi, cuius scopus fuit « ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (1). At simul ut singulorum fidelium mater, singulos sanctificare et ad vitam aeternam perducere directe et immediate intendit.

7) Societas dicitur *libera* si hi qui eam ingrediuntur, libere eam amplectuntur; *necessaria*, si amplecti tenentur. Quae necessitas vel *ex natura rei* provenit vel ex *voluntate* illius qui *praecipere* potest. Necessaria est natura sua societas quae ad finem necessario obtinendum ita ordinatur ut sola praebeat media ad illum consequendum; necessaria est voluntate praecipientis, si ille qui auctoritate pollet in quosdam homines, exigit ut hanc societatem isti ingrediantur.

Deus, pro dominio suo in hominem, aliquem finem ipsi praestituere potest, simul media constituens quibus is finis obtineatur, immo et societatem instituens in qua sola haec media praesto habeantur. Quae societas necessaria erit non quidem *absolute* et suapte natura sed *in hypothesi* divinae illius voluntatis. Sic Ecclesia, per quam solam ad finem supernaturalem, vitam aeternam, tenditur, necessaria facta est in hypothesi divinae dispositionis, qua homo ad indebitum illum finem, necessario et per solam Ecclesiam obtinendum, elevatus est.

Superior vero humanus subditis suis rationabiliter imponere nequit ut aliquam ingrediantur societatem, nisi ipse iudicet aliquem finem esse necessario obtinendum nec alia via obtineri posse (saltem quod ad communitatem spectat); ut si iudicet in aliquibus adiunctis ordinem publicum et territorii defensionem obtineri non posse nisi servitium militare omnibus obligatorium reddatur.

Societas *ecclesiastica* et societas *civilis necessariae* sunt: prima quidem, in hypothesi divinae voluntatis, omnibus et

(1) Ephes. V, 27.

singulis, quia extra ipsam obtineri nequit salus animae quam omnes homines procurare sibi debent; altera vero ex natura sua, at in genere tantum, non singulis hominibus. Unde Leo XIII: « Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam tum etiam civilem, quae suppeditare vitae sufficientiam perfectam sola potest » (1).

8) *Comparato* inter se *fine* proprio, societates dicuntur *pares* vel *impares* prout ordinantur ad *bona eiusdem* vel *diversi generis*. Si bona in suo genere suprema considerantur, duplicis tantum generis esse reperiuntur: bonum ordinis temporalis, bonum ordinis spiritualis (et in ordine nostro, supernaturalis); ad Statum pertinet cura boni temporalis ordinis, ad Ecclesiam spiritualis. Omnes societates quae ad Ecclesiam referuntur sunt inter se pares (ita piae Sodalitates, Ordines vel Congregationes Religiosae); item pares sunt omnes societates quae ad Statum referuntur, ut societates litterariae, artisticae vel commerciales.

9) Pro ratione *mutuae relationis*, societates sunt *subordinatae* vel *coordinatae*, prout *ab invicem* sunt *dependentes* vel *independentes:* sic in Statu civili coordinata sunt societas negotiatoria et Orpheon musicorum, in Ecclesia sodalitas B. M. Virginis et seminarium clericorum.

Subordinatio *proprie* et *stricte dicta* habetur inter societates ita connexas ut *finis* unius tanquam *medium* inserviat ad obtinendum finem alterius; sic exercitus quo pax foris et intus tranquillitas conservatur, inservit ad finem totius societatis civilis, qui est prosperitatem et temporalem felicitatem civium procurare.

Minus stricte dicta subordinatio reperitur inter societates plures quae tanquam *partes integrantes* alicuius *totius* se habent, ita ut unaquaeque sibi sufficere possit ad finem

(1) Encycl. « Immortale Dei », 1 Nov. 1885, § Non est magni.

suum principalem et in aliquo ordine ultimum obtinendum, ad maiorem tamen commoditatem et facilitatem cum aliis similibus adunatur, maiorem aliquam cum eis societatem efformans, cuius finis non alius est ac finis partium: huiusmodi sunt diversi Status in Confederatione Statuum Americae Septentrionalis.

10) Pro ratione tandem *efficaciae* in ordine *ad finem* proprium *obtinendum* habentur societates *perfectae* vel *imperfectae,* secundum quod *gaudent* vel non *omnibus requisitis ad finem suum obtinendum.* Infra ostendetur nullam esse societatem perfectam nisi quae habet *finem* in suo genere *supremum,* at non *inde* praecise dicitur perfecta sed potius ex ratione *efficaciae* ad illum obtinendum.

Aliis verbis definiri potest societas perfecta illa quae *in se habet vel ab aliis iuridice exigere potest omnia media quae ad finem eius obtinendum sunt necessaria.* Dicitur *in se* habet, at non necessario *actu,* sed tantum *iure*, ita ut, si actu ea non habeat, *iuridice* ea ab alia exigere possit, scilicet ita petere ut alia debeat, seu *moraliter* teneatur ea praestare. Si enim ex defectu essentialiter sibi inhaerente finem obtinere nequit, imperfecta dici debet; si vero ob malitiam aut imperfectionem et deficientiam hominum, sive sociorum sive non sociorum, finem suum hic et nunc non obtinet, nihil inde contra ipsam argui potest. Res exemplo illustrabitur. Iuxta S. Thomam societas familiaris et domestica instituta est « ad generationem et nutrimentum et disciplinam » prolis, societas civilis « ad vitae sufficientiam perfectam » (1). Si proles fame pereat vel male educetur ob paternam negligentiam vel adiuncta contraria, nihil inde contra rectam familiae institutionem argui licet, *de se* enim apta manet ad suum finem; at Deus homini libertatem reliquit noluitque omnes infortunii et miseriarum causas in statu naturae lapsae auferre. At nequit familia membris suis omnem vitae sufficientiam procurare: deficit enim in procuranda pacis conservatione, ordinis publici tuitione, bonorum abundantia, et ita

(1) In I Ethic. l. 1.

deficit ut *de se* et *per se* impotens sit ad ea obtinenda, non tantum *actu* sed et *iure*. Haec vero bona procurare *de se* et *per se* potest Status, et, si non semper *actu* ea procurat, *iure* tamen haec potestas ipsi inesse constat.

Qui originem omnium iurium in sola vi physica (ut Materialistae) vel etiam in Principis vel multitudinis voluntate reponunt, sive ex pacto sive per consuetudinem manifestata, ut Hobbes, Rousseau, Savigny (1), facile errabunt in notione societatis perfectae. Non ita qui fontem omnis iuris Deum habent, qui relationes inter varias creaturas ad ipsam eorum naturam ab ipso conditam consequentes « observari vult, perturbari vetat » (2). Iura proinde non dependent a potestate physica actuali sed innituntur ipsi rerum naturae. Adde absurda quae ex talibus theoriis sequerentur: nulla enim societas perfecta existeret, cum nulla finem suum *plene* et *integre* obtinere possit, ob malitiam vel imperfectionem humanam; vel etiam eadem societas *nunc perfecta nunc imperfecta* dici deberet, prout *actu* haberet vel non quae ad finem obtinendum ipsi sunt necessaria: sic Ecclesia in *Medio Aevo* perfecta, *nunc* imperfecta dici deberet, quia olim habuit, nunc non habet potestatem *physicam* observationem suarum legum exigendi.

Innuebatur supra nullam societatem perfectam dici debere quae in suo genere suprema non sit: secus enim erit alteri eiusdem generis subordinata. Subordinatio quidem *late dicta*, qua fit ut plures societates sint quasi partes integrantes amplioris cuiusdam societatis, relativam tantum imperfectionem arguit: habent enim in se societates huiusmodi omnia media ad finem suum obtinendum, nec indigent ut sint partes amplioris societatis, sed de facto tantum tales reperiuntur.

Si vero subordinatio sit *stricte dicta*, quando nempe finis unius est medium ad alterius finem, societas subordinata perfecta esse nequit, nam perfecte et integre bonum

(1) Cathrein, Philos. moral. n. 237. Meyer, Institut. iuris natur. I, n. 515 sq.

(2) S. Aug. l. c. p. 6.

suum adipisci non potest sine adiutorio superioris societatis Sic familiae sibi derelictae et extra societatem civilem positae, incapaces erunt sui finis apte et perfecte obtinendi: sine illa bonorum sufficientia perfecta quam procurare nata est societas civilis, ex ipsa divinae Providentiae ordinatione, non poterit apte procurari educatio prolis. A fortiori nequit aliqua societas libera, ut societas commercialis vel litteraria, proprium scopum adipisci, nisi Status pacem, ordinem publicum et bonorum sufficientiam procuret.

Immo, ex altero capite, excludit illa subordinatio characterem perfectae societatis. Rectus enim ordo rerum postulat ut societas quae habet finem inferiorem, ad alteram ordinetur et, si iurium conflictus oriatur, ipsi cedat et potius de medio tollatur quam ut bonum superioris societatis impediat. Et quamvis inde non sequatur societatem hanc superiorem posse pro lubitu impedire vel destruere subordinatam, ~~multo minus~~ quando haec, ut familia, a Deo est ordinata et anterior societati civili, potest nihilominus aliquando Status ea praecipere quae aliquam familiam impediunt ne finem suum obtineat, ut si paterfamilias vel filii iuberentur pro patria vitam expendere (1).

Duae tantum existunt societates perfectae, specie diversae: una, ordinis naturalis quae finem habet felicitatem temporalem hominum, et est societas civilis seu Status; altera, ordinis spiritualis (immo et supernaturalis), finem habens salutem et aeternam felicitatem hominum, quae est Ecclesia. Ad alterutram referuntur omnes aliae societates, et sicut omnia bona ordinis temporalis ut media se habent ad felicitatem temporale integram, sic societates particulares quae bonum temporale quaerunt, Statui subordinantur; omnia autem bona spiritualia ad felicitatem aeternam ordinantur, et proin societates quae aliquod bonum spirituale intendunt, Ecclesiae subordinantur.

(1) Operae pretium est advertere familiam sicut et privatos quoad quaedam non pendere a Statu, cuius potestas non ultra felicitatem temporalem extenditur, dum homines ad ordinem supernaturalem et felicitatem aeternam consequendam a Deo ordinantur.

Obiectiones. — Obiici potest Statum debere dici Ecclesiae subordinatum, ratione finis, unicam proinde manere societatem perfectam, nempe Ecclesiam. Felicitas enim huius vitae, natura sua, sive voluntate divina, qua iubemur omnia ad Dei gloriam facere, regnum Dei primum quaerere (1), ordinari debet ad felicitatem aeternam; insuper finis hic temporalis longe inferior est fini Ecclesiae. At duo sunt probe distinguenda: 1) obligatio *interna, subiectiva,* actus nostros ad vitam aeternam ordinandi, quae obligatio *negative* quidem *semper* urget, quia nil unquam facere licet quod vitae aeternae adeptioni obstet, *positive aliquando* tantum urget, quatenus actus quosdam directos praescribit; 2) ipsa *subordinatio* unius ordinis ad alterum. Iamvero, quamvis finis spiritualis dignitate longe praestet temporali, manent tamen in suo ordine prorsus diversi: aeterna enim felicitas a temporali non pendet, procurari potest, immo saepe procuratur ope miseriarum, calamitatum ipsiusque mortis temporalis.

Altera obiectio vel eadem aliis verbis concepta, ea est: Deus, utriusque ordinis auctor, inferiorem societatem ad superiorem ordinare debuit; ergo una tantum est perfecta societas, Ecclesia. Respondetur per negationem consequentiae et consequentis. Vel melius, distinguitur in antecedente argumenti vox *ordinatio*/ Deus eas ordinavit *negative*, in quantum inferior non debet superiori nocere, *Concedo.* Eas ordinavit *positive, Subdist.:* eo sensu quod, si oriatur conflictus, inferior cedere debeat, immo ad superiorem societatem pertineat conflictum dirimere, ut infra probabitur ubi de relationibus societatis perfectae cum aliis perfectis, et in specie Ecclesiae cum Statu, *Conc.;* eo sensu quod Ecclesia in societatem civilem omnem potestatem in utroque ordine obtineat, *Nego;* nam ob causas sapientissimas Deus hoc noluit (2).

Quam independentiam utriusque societatis, his verbis

(1) I Cor. X. 31: Matth. VI. 33.
(2) Cf. Liberatore, Dirit. pub. eccles. c. III, art. I, § 1.

asserebat Leo XIII: « Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos, unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur » (1).

III. De potestate societatis perfectae.

A — De potestate in sua membra.

I. Principia generalia.

Status quaestionis. — Societas, ut fini suo complete respondeat, debet hominem adiuvare in his omnibus in quibus *per se* sufficienter viribus instructus non est ad obtinendum finem a societate intentum. Quod ut praestetur, auctoritas socialis capax sit oportet: 1) *unitatem socialem efformandi* aut iam efformatam *tuendi,* nam sine tali unitate non existit societas, at multitudo confusa; 2) *sociorum vires* omnes *efficaciter ad communem finem adhibendi.* Potestas quae essentialem societatis unitatem efformat vel tuetur, apte dicitur potestas *constituens* seu constitutiva. Ad exercitium vero efficaciter applicantur sociorum vires per attributa auctoritatis quae potestas *legifera, iudicialis*, *coercitiva* dicuntur aut aliis forte nominibus designabuntur.

Quaestio est sat ardua determinare quo modo quave extensione attribuenda sit supremae auctoritati sociali potestas constituens. Certe si de primae societatis constitutione agitur, qua nempe efformata est et quidem iam non *in abstracto* sed *in concreto* existens, ab aliis distincta et determinata tam *numero* quam *notis suis* ut talis vel talis, negari nequit multas et diversissimi generis vires ad hanc societatem cooptandam concurrisse, sub influxu Providentiae divinae omnia

(1) Encycl. « Immortale Dei » ¿ Itaque Deus. Cf. Bargill, I, n. 21.

disponentis et moderantis (1). Unde considerando initiale illud stadium, cum Liberatore merito dicere licebit, quod talis potestas constituens « neque auctoritatis neque multitudinis seorsim acceptae propria est sed utriusque partis simul consentientis » (2).

Si vero tantummodo de tuenda unitate essentiali societatis iam constitutae agitur, aliqualis certe potestas constituens auctoritati supremae est attribuenda, quae ob societatis bonum, mutabiles circumstantias, varia temporis adiuncta ad exercitium erit reducenda. Utrum vero ad mere accidentales mutationes, an ad essentiales etiam se extendat, disputatur.

Ceterum in tractatu Iuris ecclesiastici, res non est tanti momenti, cum fundamentalis Ecclesiae constitutio, quae sola a nobis consideratur, ab ipso Christo condita sit et proinde plane immutabilis existat. Accidentales vero mutationes quae v. g. ad determinationem alicuius subiecti auctoritatis vel distributionem variarum potestatum inter varia gubernationis organa spectant, certe limites socialis auctoritatis non praetergrediuntur.

Unde, relicta quaestione de potestate constituente, ulterius inquiremus quid societati perfectae iam constitutae necesse sit ut suo fini satisfaciat, i. e. ut efficaciter membra sua adiuvet ad finem communem adipiscendum (3).

Principia generalia de extensione potestatis perfectae in sua membra. — Certum est et ipsi rationi apprime consentaneum talem societatem: 1) *exigere* a sociis *posse* quae *ad finem suum totum* consequendum sunt *necessaria*; 2) ea quae *necessaria non sunt*, *exigere non posse*;

(1) De Maistre, Essai sur le principe générateur des constitutions politiques, XII et XIII.

(2) Liberat. Ius naturae, P. II, c. IV, n. 77.

(3) Qui plura volet de origine societatis et auctoritatis in genere, de potestate constituente, adeat auctores Philosophiae moralis aut Iuris naturalis, v. g. Liberatore, Institutiones Ethicae et Iuris naturalis; Taparelli, Saggio teoretico di diritto naturale.

3) *nec ordinare* vel determinare *posse* ea quae *ad finem* societatis *superioris* referuntur, ne huius iura usurpet (1).

A. Exigere potest necessaria ad finem suum. — Contradictorium plane esset, si societas non posset a membris ad aliquem finem coadunatis exigere ut media adhibeant ad hunc finem necessaria: qui vult finem vult media, saltem necessaria. Quod quidem verum est de quacumque societate sive necessaria sive libera: si enim libere adunantur socii, nequeunt postea, quin sibi contradicant, ea recusare quae ad finem obtinendum requiruntur; si necessaria est societas, simul intelligitur socios ea media necessaria adhibere debere, vel cogente natura vel ex voluntate saltem implicita superioris qui eos coegit.

N. B. — Extenditur obligatio ad *omnia media* vere necessaria, etsi *mediate* tantum cum finis assecutione sint connexa. Quod si *nullum determinate* medium sit absolute necessarium, at *quaedam* tantum *indeterminate*, inter quae possit ferri electio, societatis ipsius est unum vel plura ex his eligere et sociis imponere, quoties ordo et concordia exiget, ut plerumque fiet, ut quaedam in specie determinentur et imponantur.

B. Societas exigere nequit media ad finem non necessaria: ad haec enim adhibenda nec socii societatem liberam efformantes vel ingredientes sese adstrinxerunt, nec, in societate necessaria, censeri debent superiores ad haec illos obligare voluisse. Societas enim ad aliquem scopum obtinendum constituta est: quae extra finem sunt, extra obligationem ponuntur.

Hinc patet quantum a vero alienum sit, contendere *ius* societatis in sua membra ad *omnia licita* sese extendere: cui falsae innixus praetentioni, mirum est quot usurpationes Status commiserit non sine magno detrimento ipsius boni publici. Ceterum ultimum fundamentum illius praetentionis non est aliud quam assertum a prop. 39 Syllabi condemnatum: « Reipublicae Status, utpote omnium iurium origo

(1) Tarquini, n. 8 sq.

et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ». Plane alio modo res sese habent, et recte asseritur ab Hammerstein: « Potestas publica civilis omnia potest quae bonum commune subditorum exigit, quibus sine illa non satis provisum esset, quaeque non Ecclesiae reservata sunt a Deo » (1).

Iamvero, ut idem advertit auctor, scopus Status ex ipsa naturae intentione et humani generis necessitatibus clare apparet, quibus divinae voluntatis dispositio manifestatur; natura Status est *subsidiaria*, et si ultra tendit, vergit ad despotismum, qui non tantum iura vel naturaliter a Deo concessa (v. g. patrifamilias) vel etiam ex revelatione supernaturali Ecclesiae tradita evertit, sed etiam in malum ipsius Status tendere noscitur; res enim non suas, sed singulorum, familiarum, imperfectius curabit quam ii ad quos pertinent, hi vero vel negligentiores fient vel impedientur ne bene eas curent; adde *exercitum* officialium qui exigetur; adde tandem consequentiam illam necessariam quod scilicet « res maiores et magis universales, quae propriae ipsius sunt, male administret, dum vires ac tempus rebus minutissimis impendit, quae familiarum esse debent ac singulorum » (2).

Non tamen inde concludendum est singulos privatos statim debere ad intrusionem Status clamitare, quando aliquid praecipit: facile enim, ob amorem et commodum proprium, aliquis decipi potest, statque pro Statu praesumptio, quod de necessitate alicuius medii adhibendi recte iudicaverit.

N. B. — Quaeri potest an Societas praecipere possit medium *non* absolute *necessarium* at *utile*. Respondendum est huiusmodi utilitatem intelligi posse *moralem necessitatem*, vel necessitatem ut *finis totus* societatis obtineatur, ita ut, non adhibito medio, *partialiter* tantum non *plene* finis obtineatur: tunc certo imponi potest; ut si quaedam natio exercitu non indigeat ad ordinem et pacem internam tuendam,

convenienter aut non conven.

possit

(1) Hammerstein, De Ecclesia et Statu. l. I, P. II, §. 2, n. 3.
(2) Hammerstein, l. c. n. 6.

at sine tali exercitu periculo exponatur incursionis hostilis: exercitus requiritur ad finem societatis *totum* obtinendum, ergo exigi potest a civibus haec ratio servitii militaris praestandi quam societas ad hunc scopum obtinendum necessarium iudicaverit. Si vero *utilitas communis* intellegitur, non potest societas medium mere utile exigere, ex antea dictis.

C. Societas inferior ea ordinare et determinare prohibetur quae societati superiori sunt necessaria. — Hoc longa non indiget demonstratione. Unde enim tale ius sibi vindicare posset? Et e contra quot timenda essent incommoda! Vix enim fieri posset ut bona superioris ordinis detrimentum non paterentur: nam unusquisque potius sua bona quam aliorum quaerit; praesertim vero bona temporalia, materialia, quae sensus nostros directe afficiunt, facile bonis spiritualibus, immaterialibus praeferuntur; inde patet cui periculo obiicerentur haec superiora bona, si societas ad quam pertinet inferiora et temporalia curare, etiam circa superiora et spiritualia decernere posset.

N. B. — *Usurpatio* nulla est, at laudabile adiutorium, immo quandoque strictum societatis inferioris officium, ea approbare quae a societate superiore sunt ordinata et ad eorum executionem concurrere. De hoc ceterum infra tractabitur ubi de officiis Status erga religionem.

Obiectio. — Obiici potest aliquando multum conferre ad bonum societatis inferioris, immo forte ad ipsius conservationem necessarium esse, ut iuxta ipsius beneplacitum ea ordinentur et determinentur quae ad superiorem societatem pertinent. Sed societas ius ad sui conservationem habet, ergo et ius ordinandi quae ad superiorem societatem pertinent.

Responderi potest primo *indirecte*, ostendendo consequentias falsas et absonas talis principii semel admissi. Interest certe ad Statum ut cives etiam privatim rectam fidem profiteantur, sacramenta rite suspiciant, etc.; ipsiusne erit sese in huiusmodi res intrudere? Minime quidem. Immo non raro multum interest societatis cuiusdam privatae, puta negotiatoriae vel industrialis, ut leges publicae hoc vel illo modo mutentur; quis dicet ad ipsam pertinere harum legum mutationem?

Et concedi quidem debet societatem superiorem in ordinandis suis bonis respectum habere debere societatum inferiorum, pro ratione praesertim illarum utilitatis, maxime vero si de societate inferiori a Deo constituta et necessaria, nempe de familia, agitur. Quod generaliter fieri poterit sine detrimento, immo cum maximo emolumento societatis superioris. Si quo casu, ob malitiam vel deficientiam humanam vel miserias quae ad statum naturae lapsae consequuntur, oriatur conflictus iurium, ratio ipsa postulat ut potius inferior societas quam superior detrimentum patiatur (v. g. ut quaedam societas commercialis intereat, ~~immo ut familia quaedam dividatur et pereat~~).

Inde patet *secunda* et *magis directa* ad obiectionem *responsio*. Admissa enim *maiore* argumenti, nempe utilissimum vel etiam necessarium aliquando esse alicui societati ut iuxta ipsius beneplacitum ordinentur quae ad superiorem societatem pertinent, distinguitur *minor* hoc modo: societas ius ad sui conservationem habet, servata subordinatione ad ordinem superiorem, *Concedo;* omissa hac subordinatione, *Nego* (1).

Conclusio. — Triplici hoc principio stabilito, ex quo constat *in abstracto* quaenam societati perfectae vindicanda sit ~~potestas~~ ut efficaciter membra ad finem communem adipiscendum adiuvet, quin tamen iura societatis superioris usurpet, videndum est nunc magis in concreto quomodo potestatem suam in exercitium reductura sit.

Finis societati praestitutus per adhibita media proportionata obtinebitur. Ut autem membra ad finem per media recte ducantur, necesse est: 1) ut media *apta eligantur* et *praescribantur;* 2) ut praescripta media *executioni mandentur* sive in casibus certis et obviis sive in casibus dubiis et litigiosis; 3) ut *coerceantur* qui ea media adhibere recusantes, *ordinem socialem pervertunt.* Sine his tribus, impossibile est ut socii efficaciter ad finem societatis tendant.

Auctoritas socialis *eligens* et sociis media quaedam *praescribens*, exercet potestatem *legiferam* seu *legislativam.*

(1) Cf. Cavagnis, Instit. Iuris publ. eccl. t. I, c. I, a. II, § 3, n. 89.

At leges etiam optimae ad nil inserviunt nisi observentur. Auctoritas exsecutionem urgebit per varias illas functiones quas designare licet nomine potestatis *administrativae, iudicialis, coercitivae* (1).

Potestas *administrativa* urget legum executionem quoad praxim ordinariam et quotidianam, in *casibus certis* et *obviis*, quando nulla intervenit lis vel contentio.

Ipsius est varia officia mandare, in eorum executionem invigilare, commonefaciens etiam privatos de eorum obligationibus eosque urgens ut eas impleant.

(1) Scopus huius tractationis non est ex professo de natura et exercitio potestatis socialis disputare, aptioremque et magis logicam divisionem et classificationem attributorum essentialium auctoritatis instituere, mutuamque ipsorum habitudinem ostendere, at tantum videre quousque se extendat potestas societatis perfectae. Sufficiat hic quaedam breviter referre de variis divisionibus ab auctoribus invectis. Divisio functionum auctoritatis socialis in potestatem *legiferam, iudicialem, executivam* a Montesquieu divulgari coepta est (Esprit des lois, t. I, l. XI); eam desumebat ex his quae in regno Angliae fiebant. Quam divisionem Liberatore sequitur, praenotans: « Haec tripartita divisio, licet a nonnullis improbetur, tamen, cum valde communis sit, et obiectum distinctis partibus satis plene contineat, approbatu non indigna nobis videtur ». (Institutiones Ethicae et Iuris natur. P. II, c. IV, n. 74). Quidam auctores, ut Grandclaude (Principes du droit public, Sect. II, c. I, p. 158) ad executivam referunt iudicialem: nec repugnaret Liberatore, qui ait (l. c. n. 84); « quanquam potestas iudicialis *non incongruenter* ad executivam revocari possit, melius tamen ab ea secernitur ». Alii contra, admittentes tripartitam divisionem, eam ita complent ut in executiva potestate triplex alia considerari debeat: *gubernativa*, seu regendi personas conformiter legibus; *administrativa*, nempe curandi bona, et *coactiva*. (Cavagnis l. c. l. I, c. I, n. 106. *Executivam* potestatem, ut distinctam functionem, reiicit Wernz (Ius Decret. II, n. 4. d.) « nam potestas executiva sensu stricto non est propria quaedam species iurisdictionis... sed potius ad unamquamque ex tribus speciebus supra commemoratis accedit (i. e. legiferae, iudiciali, coercitivae); etenim leges et sententiae iudiciales et poenae sunt executioni mandandae ». Obiici tamen potest contra hanc assertionem clariss. auctoris potestatem legiferam ab executione valde diversam esse, qnamvis eam exigat ne vana sit, iudicialem vero et coercitivam ad executionem multo magis referri. Multi tandem auctores divisionem illam in *legiferam, iudicialem, coercitivam* praeferunt, (Wernz l. c.; Tarquini n. 14.), addita aliquando ad clariorem functionum distinctionem potestate *administrativa*, eo sensu quem in textu exponimus (sic Biederlack, Ius eccles. publicum).

Potestas *iudicialis* in *casibus dubiis* et *controversis* auctoritative determinat utrum lex impleta ~~fuerit~~ et obligationi satisfactum necne.

Potestas *coercitiva* subditos *nolentes* vel *invitos* opportunis mediis *constringit* ad adhibenda media per leges praescripta, et *in reos* et *nocentes animadvertens* ordinem laesum reparat aliosque subditos salutari timore in officio continet.

II. De potestate legifera.

Competit societati perfectae potestas *legifera*. Homines privati, si sibi relinquentur, satis *intelligere* non poterunt ea omnia quae ad finem societatis ducunt et proinde in his eligendis deficient; et etiamsi ea clare perspexerint, non semper *adhibere* volent, praesertim si incommoda et molestias sibi timeant. Insuper saepissime ad finem aliquem obtinendum plura suppetunt media inter quae unum vel aliqua eligere et determinare necessarium erit, ut confusio et anarchia vitetur. Hinc necessitas oritur, et *media* illa *determinandi* et sociis *obligationem imponendi* ut ea adhibeant; id quod per leges vel praecepta perficitur.

Potestas, qua haec fiunt, nomen « *legiferae potestatis* » sortitur ex praecipuo sui exercitii gradu, i. e. a lege. Lex definitur a S. Thoma: « *quaedam ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata* » (1); est de se *universalis* et *perpetua*, dum praeceptum saepe aliquas tantum personas attinget vel ad tempus determinatum feretur (2). Patet illum qui leges dare valet, etiam praecepta imponere posse, iuxta regulam illam iuris: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus » (3).

De extensione potestatis legiferae. — Ex antea dictis, extenditur potestas ea 1) ad omnia et sola media necessa-

(1) 1a 2ae, q. 90, art. 4.
(2) Wernz, Ius Decr. I, n. 89.
(3) R. I. 53, in VI.

ria; 2) ad eligendum inter media indeterminate apta, quae meliora et efficaciora iudicat ad finem obtinendum; 3) etiam ad determinandum modum ac gradum in quo quis uti debeat his mediis, at hunc tantum modum et gradum exigens quem necessarium iudicaverit. Unde si minor obligationis gradus sufficit, nequit societas amplius quid exigere. Ratione obligationis triplex distinguitur lex: *moralis*, quae in conscientia obligat *ad actum* at *non ad poenam; poenalis,* quae in conscientia et sub peccato *non* obligat *ad actum sed ad poenam; mixta,* quae ad utrumque. Qui legem moralem violat, peccat quin determinatam poenam incurrat; qui poenalem, non peccat, at si ipsi poena infligitur, in conscientia obligatur eam subire; qui mixtam violat, peccat et poenam incurrit sive ipso facto latam, sive a iudice ferendam sed iam a lege determinatam.

Iamvero minor est gradus obligationis in lege poenali quam in morali vel mixta; si sufficit, sola est imponenda. At fieri potest et non raro fit ut huiusmodi obligatio ad bonum publicum procurandum non sufficiat, sed ut debeat accedere obligatio conscientiae ad actum ponendum, immo forte ad poenam subeundam, tunc legem moralem vel mixtam poterit vel etiam debebit condere societas. Legem poenalem sufficere quoad tributa indirecta, moralem requiri pro tributis directis vel servitio militari multi existimant (1).

De promulgatione legis. — Essentialis conditio legis est promulgatio, seu legis publicatio, communitati facta, auctoritate illius qui curam habet communitatis (2). Lex enim est ordinatio rationis quae subditorum voluntatem ligat; at, sicut ab intellectu et voluntate legislatoris exit, sic ad voluntatem subditorum movendam ope intellectus pervenire debet. Quomodo voluntatem ligabit nisi cognoscatur? Inde necessaria est quaedam publicatio seu promulgatio. Forma autem promulgationis varia esse potest, dum

(1) Cf. Buccer., Theol. Mor., I, n. 232, 1386. Noldin, De praeceptis, n. 316, 320.

(2) Wernz, I, n. 100. Suarez, De leg. l. I, c. 11, n. 1, 3.

fiat modo sufficienti ut diligens quisque eius cognitionem assequi valeat: in praxi ipsius auctoritatis est formam convenientem determinare et adhibere. Olim per affixionem in locis quibusdam conspicuis urbis principalis fiebat, Romae ad valvas trium Basilicarum intra Urbem et in Campo Florae; nunc fieri solet per publicationem in officiali ephemeride, qui modus pro actibus pontificiis recens est adoptatus: ut promulgati enim habentur per publicationem in Actibus Apostolicae Sedis (1).

Post talem promulgationem rationabiliter habentur omnes ut legem edocti et verificatur axioma iuridicum: « nemo censetur ignorare legem ». Cum enim omnes aliquam diligentiam adhibere debeant et soleant ad cognoscendas suas obligationes, practice sic ad ipsorum notitiam perveniet lex. Quod si plus exigeretur et unicuique deberet lex notificari, importabile auctoritati publicae evaderet onus, et nulla lex efficaciter ferretur.

De interpretatione legis. — Ad potestatem leges condendi sequitur manifeste potestas eas *interpretandi* et quidem *modo authentico,* i. e. auctoritativo et qui subditos liget. Secus enim manca maneret potestas prior. At nemo, praeter conditorem legis, vel qui ab eo delegationem habeat, hoc munus interpretationis *authenticae* sibi vindicare potest, quamvis possit *doctrinalem* dare, indicans scilicet quomodo lex illa sibi intelligenda videatur. Interpretatio authentica obligare potest vel *omnes* vel *aliquos* tantum et dicetur *necessaria universaliter* vel *particulariter*. Praeter interpretationem doctrinalem habetur etiam *usualis* quae moribus populi introducta, actualem constituit observantiam, nondum adhuc *consuetudinem* quae vim legis habeat; potest ipsa vel *universalis* vel *particularis* esse (2).

(1) Cf. Constit. « Promulgandi » 29 Sept. 1908. Acta Ap. Sedis, I, p. 6
(2) Wernz, I, n. 128.

III. De potestate administrativa.

Haec ad rectam legum applicationem pertinet in casibus certis et planis. Exercetur praesertim per constitutionem officialium et magistratuum et per vigilantiam in ipsos ut recte suis muneribus fungantur, efficaciter dirigant subditos ad legum executionem, eos per monita, exhortationes aliosque stimulos urgeant.

Societati perfectae competit potestas administrativa et talis ut in suo exercitio independens sit ab alia societate. Et primo quidem *necessaria* est: in legum enim executione saepe difficultates oriuntur quae aliquem auctoritatis interventum postulant. Leges, praesertim quando pro magna hominum multitudine feruntur, verbis debent generalibus concipi nec ita facile ad singulos casus et singulos socios applicantur; plurium insuper vel exstimulanda erit negligentia vel adiuvanda bona voluntas, eos suarum obligationum admonendo. Ceterum clare patet multa servitia publica necessaria esse in Statu, quibus et unitas inter cives et bonus ordo et multae aliae publicae utilitates promoveantur.

Potestas administrativa aliquid de *legifera* participat, in quantum legem explicat et applicat, sed etiam de *executiva* participat, in quantum subditos efficaciter ad legum observantiam provocat: immo non inepte ad *executivam* tota refertur ab aliquibus auctoribus. Differt autem a potestate *iudiciali* quae *post factum* intervenit ad decidendum utrum obligationi satisfactum fuerit necne, et a potestate *coercitiva*, quae in subditos reluctantes et invitos exercetur.

Independentia potestatis administrativae per se patet. Quomodo enim perfecta dici possit societas, quae, postquam per leges media opportuna praescripserit, determinare per se et proprio iure nequeat quomodo hae debeant observari, nec subditos ad eorum observationem stimulare et incitare. Nec minus clarum est posse Societatem perfectam suis subordinatis officialibus concedere ut subditis

auctoritative decisiones imponant, quibus modus legum observandarum constituitur. Requirit tamen bonus ordo et necessitas vitandi arbitrarium, ut ab inferioribus magistratibus ad auctoritatem superiorem recursus his pateat qui se laesos arbitrabuntur.

IV. De potestate iudiciali.

Potestas iudicialis ea est quae in casibus dubiis et controversis auctoritative determinat utrum obligationi satisfactum fuerit necne. Quod quidem duo includit iudicia, unum de *vero sensu legum*, aliud de *actione* socii eiusque *conformitate* cum lege vel *discrepantia*. Controversiae oriri possunt inter *privatos* (aut etiam inter *privatum* aliquem et *societatem*, quando haec ad instar personae privatae quaedam iura habet et exercet) de ipsorum *iuribus*, v. g. de proprietate aut possessione domus vel agri, de iniuriis in fortunis vel honore: tunc habetur iudicium *civile* (quod confundi non debet cum iudicio *laicali*, i. e. apud iudicem laicalem ~~delato~~ instituto; et eadem designatione « civilis » decorantur omnia quae ad tale iudicium referuntur (tribunal, processus, iurisdictio *civilis*).

Alias controversia versatur circa *factum* quod *ordinem publicum laedit*, et in quaestione est utrum quis ordinem culpabiliter laeserit (culpa saltem *iuridica* ex defectu nempe *diligentiae* debitae). In hoc casu habetur iudicium *criminale* et etiam nomen « criminalis » sortiuntur iurisdictio, processus, tribunal.

Ad potestatem societatis perfectae *necessario* pertinet *potestas iudicialis independens*. Periret omnino ordo et pax, nisi inesset societati ius illas controversias auctoritative dirimendi. Tot enim inter homines oriri possunt dissensiones, toties discrepant iudicia et invicem opponuntur voluntates, praesertim ubi utilitas et commodum proprium iudicium obnubilant et voluntatem alliciunt. Adde quod, pro sociorum numero, pro qualitate et difficultate negotiorum, multiplicatur

litium numerus (de proprietate et possessione bonorum mobilium et immobilium, de praescriptionibus, contractibus, hereditatibus, iniuriis veris aut praetensis. etc., etc.).

Independens debet esse potestas iudicialis: secus falso diceretur societas perfecta habere in se omnia media ad finem suum necessaria, si in re cum essentia sua tam arcte connexa ad extraneam potestatem recurrere deberet vel ab ea dependeret: haec quidem extranea potestas ipsi superior absque dubio evaderet et quidem in eodem negotiorum ordine, quod praecise conceptum societatis perfectae evertit.

Contra necessariam illam independentiam nullo modo pugnant recursus ad R. Pontificem contra iudicia Regum vel Principum, ut ostendetur quando de potestate indirecta Ecclesiae in societatem civilem agetur.

V. De potestate coercitiva.

Potestas coercitiva ea est quae subditos nolentes vel invitos opportunis mediis constringit ut media per legem praescripta adhibeant. Latius patet quam potestas mere *coactiva* quae ad *puniendum* tantum extenditur et *culpam* saltem iuridicam *supponit,* dum coercitiva etiam nolentes, invitos, sed forte nondum adhuc sontes, cogit.

Necessario competere societati perfectae hanc potestatem, iam *indirecte* probatur, quia est necessarium *corollarium aliarum potestatum.* Legifera enim et iudicialis, sublata coercitiva, vanae et inutiles evaderent. Facile enim et leges parum curarentur et irriderentur decisiones iudiciales.

Directe autem sic probatur: inspecta ipsa humanae naturae indole, facile apparet multos fore qui, ex pravitate et contumacia, legibus latis se subiicere nolent, vel eas infringere conabuntur, sententiis iudicum non obtemperabunt, vel, quod peius adhuc et funestius, alios etiam ab obedientia abducere tentabunt et forte ad violandas leges efficaciter inducent. Aliqui etiam, vitio naturae, quamvis invo-

luntarie et inculpabiliter, bono communi detrimentum afferre poterunt. Quos omnes si societas efficaciter coercere non poterit, de bono et pace publica actum erit. — Et quo maior sociorum numerus, quo magis implexae et difficiles quaestiones, quo graviores conflictus praevidendi, eo magis necessaria evadet coercitiva potestas.

Cuius potestatis independentia ab alia quavis societate satis patet ex dictis de aliarum potestatum independentia.

De extensione potestatis coercitivae. — Omnis societas vel corporatio, debet aliquod ius habere contra eos qui legibus vel statutis se conformare renuentes, eam turbant et finis assecutionem impediunt; saltem casus quidam exclusionis contra huiusmodi perturbatores in cuiusvis coetus statutis continentur. Societas autem perfecta, ut sit vere talis, non uno alterove coercitionis medio contenta esse potest, sed omnia habere debet quae ipsi sunt necessaria, quaeque certe non ad solam exclusionem coarctantur, impossibilem saepe, minus efficacem aliquando, et tandem non omni delicto proportionatam.

Ut tamen iam nunc alicui occurramus difficultati quae movetur contra Ecclesiam, ut societatem perfectam, ex eo quod ius gladii ipsi non competat sicut societati civili competit, relicta interim quaestione illa inter Catholicos controversa, respondere sufficit non necessario eadem omnia media coercitionis omnibus societatibus perfectis competere. Immo non repugnat aliquam, pro indole sua speciali, quaedam respuere quae alteram non dedecent, dummodo per cetera media coercitionis efficaciter sibi providere possit.

Ex parte *personarum*, extenditur potestas coercitiva 1.) « in omnes qui *malitia* et *contumacia* sua ordinem opere ac pravis exemplis turbant; 2.) in eos, qui *vitio naturae* hoc faciunt: unde ius segregandi morbo pestilenti infectos, dementes recludendi, etc.; 3.) in eos, de quibus *certitudine* quadam *morali* iudicari potest, *socialem ordinem* ab iis *turbatum iri:* unde leges de vagis, de otiosis, etc. » (1).

(1) Tarquini n. 24.

N. B. Si quis de *fine coercitionis* et *coactionis* inquirere voluerit, auctores Ethicae et iuris naturalis adire poterit (1). Breviter tantum ibi indicabitur quae aptior iudicatur sententia.

Scopus ultimus potestatis coercitivae, omnibus consentientibus, est ut Societas finem obtinere possit, qui est felicitas temporalis sociorum, ad quem procurandum omnia necessaria media habere debet. At praeterea distingui licet triplex finis immediatus coercitionis: reorum emendatio; — ceterorum a violatione legum efficax aversio per incussum punitionis terrorem (qui, experientia teste, efficacissimus est necnon humanae naturae valde proportionatus); — ordinis laesi restitutio: per violationem enim legis ordo publicus quasi *vulnus* accepit; *medicinam* apponit poena, reparatur scandalum et sic omnium subditorum reverentia, aestimatio, amor erga leges restituitur et augetur, quos affectus nil tam brevi destruit quam si ordo impune laedatur. Hi tres fines inter se uniuntur, utpote media relate ad finem ultimum societatis obtinendum: at quaeri potest quis inter eos sit *praecipuus*. Iam apparet reorum *emendationem* esse bonum *magis personale* et *privatum*, quod *remote* tantum et per quamdam *redundantiam* commune bonum attingit, sicut ad augendam publicam prosperitatem remote conferunt alicuius privati divitiae.

Inter duos alios praecipuum locum *terroris incussionem* habere arbitratur P. Biederlack, eo quod *timor* multo plures efficaciter tangat quam consideratio reparationis ordinis laesi, quae nobiliores tantum animas, longe pauciores certe, efficaciter movet (2). Quod ipsi facile concedi potest; at *restitutio ordinis laesi* alio modo ad finem societatis confert, scandali reparationem involvit et omnibus civibus convictionem creat ordinem illum impune laedi non posse, quae duo magnam continent efficaciam ad continendos subditos in officio: hinc non immerito haberi potest ut finis praecipuus potestatis coercitivae.

(1) Cathrein, Philos. Mor. n. 634 sq· Meyer, Instit. iuris nat. II n. 589.
(2) Ius eccles. publ. n. 29.

B. De potestate societatis perfectae in extraneos.

Praenotanda. — Potest aliquis esse societati cuidam *extraneus ex toto* vel *ex parte* (*seu per quamdam abstractionem*, pro modo loquendi aliquorum, vg. Tarquini) [1]. *Ex toto* seu *perfecte extraneus* est is qui nullatenus pertinet ad societatem, nec eius membrum est, vel quia noluit, si sit societas libera, vel si necessaria, quia necessitas ad eum non se extendebat. Inde sequitur auctoritatem socialem hominem istum non attingere legibus, iudiciis, coercitione. *Ex parte* seu *imperfecte extraneus* alicui societati is est qui membrum quidem est societatis, at simul ad aliam (vel alias) pertinet, sive ei libere sive etiam necessario adnectitur. Is quidem *per quamdam abstractionem* spectari potest ut priori extraneus, in quantum hic et nunc spectatur ut aliarum membrum, et proinde ut inde habens alias obligationes et alia iura quae seorsim considerare licet.

Id vero quod de persona quadam singulari dictum est, etiam de societatibus perfectis vel imperfectis, relate ad aliam societatem perfectam, dici potest. Illae etiam spectari possunt ut *totaliter* vel *ex parte* tantum societati perfectae extraneae, prout omnia membra eorum diversa sunt a membris illius, ut sunt cives diversorum Statuum vel e contra membra, saltem plura, eadem sunt cum membris societatis perfectae, veluti socii alicuius corporationis relate ad Statum cuius sunt subditi. Hinc in sequenti tractatione, ex una parte semper spectabimus societatem quamdam perfectam, de cuius potestate in extraneos inquiremus; ex alia vero parte, extraneorum nomine venient nunc perso-

(1) Tarq. n. 27, sensum diversum dat expressioni « extraneus ex parte ». « Extraneus ex parte ille dicitur, qui ex altera parte societati devinctus est, ex altera ad illam non pertinet; ... ex. gr. qui in societatibus necessariis, poenae caussa extra societatem actus sit, neque tamen solutus fuerit obligatione redeundi neque a cura et potestate Magistratus eumdem emendandi ».

nae individuae, nunc societates vel imperfectae vel etiam perfectae.

Ex eo quod homo aliquis ad plures pertineat societates, vel quod plures societates eadem membra habeant in quae proinde iura propria exercent, facile apparet fieri posse ut iura illa et obligationes inde consequentes simul impleri vel concordari nequeant. Et quidem extra quaestionem ponimus casum usurpationis, violentiae, iniustitiae: sicut enim societates tantum *legitimas*, sic etiam casus tantum spectamus quibus hae *legitimo* modo sua iura prosequantur: perspicuum est enim societatem illegitimam, v. g. latronum turma, ius ad existentiam nullum habere, quin et de medio tolli debere; sed et societatem legitimam illicitos actus sociis praescribere non posse, veluti bellum certo iniustum, multo minus idolorum cultum, etc.

At etiamsi sola legitima societas prae oculis habeatur actusque de se licitos praescribens, socii qui simul ad aliam vel alias pertinent societates, obligationibus diversis erga eas tenentur. Fieri potest et fit generatim ut hae obligationes *obiective* et *realiter* componi possint, at aliquando eveniet ut invicem componi nequeant: in primo casu habemus statum *concordiae*, in altero statum *conflictus*. Qui quidem status *concordiae* et *conflictus* tales dicuntur *obiective* et quoad *verum ius*, non quoad merum *factum*. Quod enim *pax de facto* servetur, quamvis iniuste tollantur iura personae vel societatis, hic non dicitur status *concordiae*; vel quod e contra *de facto* turbentur vel etiam tollantur iura debilioris propter violentiam audacioris vel fortioris qui potentia abutitur, non vocatur status *conflictus:* iuridice enim et obiective res hic consideratur.

De potestate societatis perfectae in extraneos totaliter. — Ex ipsa definitione tradita, nullam in ipsos exercere valet potestatem legiferam, iudicialem, coercitivam. Non tamen nullae relationes existunt. Primo quidem *ex ipsa lege naturali*, sive inter homines privatos sive inter privatum vel societatem et alias societates, habentur obligationes *caritatis et iustitiae*. Aliquando ad mutuum auxilium ex

lege *caritatis* tenentur; sed insuper *ex iustitia* tenetur quivis aliorum iura in bonis, fama, honore, non laedere. Multo arctiores adhuc fiunt obligationes si *contractus* intercesserit, quem etiam lex naturalis dictat esse observandum. Huiusmodi autem contractus etiam inter privatos et Statum intervenire possunt, v. g. pro via ferrea exstruenda.

Iam considerandum est quaenam sint mutuae relationes sive in statu *concordiae* sive in *conflictu*. In casu concordiae, cum ex ipsa definitione iura utriusque partis componi possint, patet utramque teneri ut nil agat contra alterius iura. Si societas perfecta iniuriam alteri, vel personae privatae vel societati imperfectae intulerit, potest certe haec ad societatem perfectam cuius pars est recurrere ut sua iura recuperet. Quod si a privato iniuriam societati perfectae illata fuerit (quae res non est impossibilis, praesertim in casu contractus inter Statum et personam aut societatem industrialem, commercialem), recursus contra privatum patet ad Statum cuius est pars; si is iniuste agentem non coercuerit, alia societas ius suum vindicare non prohibetur, cum moderamine inculpatae tutelae.

Si inter duas societates perfectas, v. g. inter duos Status, habeatur praedictus *concordiae* status obiectivus, unaquaeque *vitare debet* alterius *impedimentum* et *turbationem:* hoc et *caritas* et *iustitia* exigit. Non tamen *ex iustitia* tenentur sese *adiuvare* sed aliquando *ex caritate*, quia hominibus constant, qui sunt societatis illius universalis, i. e. generis humani, membra. *In statu conflictus*, quando nempe nequeunt componi iura utriusque partis, quaerenda certe est *solutio* quae *utriusque bono melius faveat.* Si privati iura vel societatis imperfectae in conflictu veniunt cum iuribus societatis perfectae, melius res dirimetur, interventu societatis perfectae cuius est membrum. Si iura sunt *dubia*, controversia, si fieri potest, communi *concordia* finienda est, sin minus *bello* recurri poterit. Quod a fortiori dicendum si conflictus inter duas societates perfectas coordinatas habeatur; at etiam pro privato vel societate privata, non raro fit ut iura ipsius implicent bona et iura totius societatis perfectae

ad quam pertinet; quod si de privato quodam emolumento solum ageretur, in vero conflictu cum iuribus societatis perfectae, saepissime cedit et eliditur ius privatum.

De potestate societatis perfectae in extraneos ex parte. — Iuverit praenotare: 1.) neminem ad aliquam societatem pertinere qui simul aliquo modo ei *imperfecte extraneus* non sit: nulla enim existit societas quae homini sufficiat ut omnes suos attingat fines; 2.) nullum esse hominem qui ad *utramque* societatem perfectam, *civilem* et *religiosam*, non pertineat: quilibet enim ad civilem ordinatur ut felicitatem temporalem obtineat, ad Ecclesiam, ut felicitatem spiritualem et supernaturalem; 3.) cum aliquis homo dicatur ex parte extraneus alicui societati, ex eo quod ad alteram simul pertineat, simplicius erit considerare quomodo iura *prioris societatis* in subditum componantur cum iuribus *alterius societatis:* terminus enim communis est ille socius qui inter varias obligationes trahitur quas erga varias societates habet. Iamvero hae obligationes vel conciliari possunt vel non, unde hic etiam spectari potest status obiectivus *concordiae* vel *conflictus*.

In statu concordiae unaquaeque societas debet alterius iura observare nec sociis ea imponere quae ipsum impediant ne officia erga aliam impleat. Ratio patet: societas non habet ius nisi ad ea quae ad finem eius sunt necessaria, sed *in hypothesi concordiae* non ipsi necessaria sunt quae alterius iura laedunt, ergo ea imponere prohibetur (1).

Alteram rationem affert Cavagnis, ex consideratione ipsius subiecti, prout ad utramque societatem pertinet. Quaevis societas habere debet curam sui subiecti; si pluribus obligationibus inter se conciliabilibus subiectum tenetur, eas omnes observare debet, et hoc utraque societas curare debet, quantum potest.

Immo, si una ex duabus societatibus est alteri inferior, non tantum eam impedire non debet, sed insuper, quantum permittit proprius finis, eam adiuvare et promovere debet,

(1) Cavagnis, Instit. iuris eccles. publici, t. I. l. I, n. 178.

quod e contra superior societas praestare non tenetur. Hoc certe planum est, si una societas alteri subordinetur, tunc enim superiorem adiuvare debet etiam cum proprio incommodo; societas vero superior inferiorem adiuvare non tenetur, nisi in quantum hoc ad proprium finem inservit, aut forte ex motivo caritatis. Ratio est quia media ad finem sunt, non finis ad media: at societas subordinata, cuius finis est medium ad finem alterius, et ipsa spectari potest ut medium relate ad superiorem societatem. Et certe rectus ordo postulat ut societates omnes industriales, commerciales, litterariae, quae multa bona a Statu derivant et quarum finis ad finem Status, felicitatem temporalem civium, ordinatur, concurrant ad bonum Status, quantum ipsis finis proprius permittit.

Sed et hoc, theoretice saltem, affirmari debet de societate inferiori respectu superioris societatis perfectae, cui non subordinetur, v. g. societatis artisticae, industrialis, respectu Ecclesiae. Cum enim societas perfecta tendat ad finem in suo ordine supremum, altera vero, si imperfecta sit, ad finem non supremum tendat, vel si perfecta, ad finem supremum sed ordinis inferioris (sic Status relate ad Ecclesiam), quando iidem sunt socii ad utrumque finem tendentes, rectus ordo et ultimatim voluntas divina, quae homines et societates creavit et recte ordinavit, postulat adiutorium illud a societate inferiori praestari.

Addit Tarquini alterum argumentum. Societas, inquit, inferioris ordinis quae iisdem membris constat ac superior, haberi potest ipsa ut istius societatis superioris membrum: iam vero postulat rectus ordo ut membra alicuius societatis positive concurrant ad bonum illius, in quantum finis proprius permittit ([1]).

In statu conflictus, si una societas alteri est subordinata adeoque pars eius, cedere debet superiori: pars enim toti cedere debet, medium fini. Et, ut patet, ipsa superior societas iudex est de conflictus existentia, scilicet quod iura utriusque simul consistere nequeant.

([1]) Tarq. n. 30.

Si neutra societas alteri est subordinata, vincere debet quae *finem superiorem, magis necessarium,* prosequitur. Ipsa ratio postulat ut minus bonum maiori cedat, et si detrimentum alterutri subeundum sit, potius illud subeat quae minorem et inferiorem finem intendit. Quis autem de statu conflictus iudex erit? Societas ordinis *superioris:* sic enim minus erit periculum damni et erroris; *damni* quidem: cum unusquisque naturaliter in suum sensum abundet, si inferioris societatis est dirimere, bonum superius in discrimen adducitur. At forte errabit superior in detrimentum alterius? Esto hoc habeatur, inter duo mala vel etiam duo pericula, minus est eligendum. Quin etiam dicendum est *minus* fore *errandi periculum,* si iudicium penes societatem superiorem fuerit: quae enim finem supremum in eodem ordine, a fortiori quae finem nobiliorem et superioris ordinis (sicut Ecclesia relate ad Statum) prosequitur, errori et motivis inferioribus et minus dignis etiam minus obnoxia est.

Quod si tandem iniustitia sit evidens, sive in declarando existere statum conflictus, quando omnia pacifice componi possunt, sive in statuendo quomodo dirimatur, non tenetur societas inferior acquiescere decisioni superioris.

N. B. — Per modum corollarii duas obiectiones breviter expediamus. I. In casu conflictus, aiunt, vincere debet societas quae *territorium* habet, i. e. quae quasi *physice* et *materialiter* occupat, possidet aliquam terrae partem. *Negatur* assertum: sive quia non repugnat duas societates in suo ordine supremas coexistere; sive quia ius territoriale habendum non est nisi ut medium aliquod ad societatis finem procurandum, quatenus in hoc territorium societas ius suum exercet independenter ab alia societate eiusdem ordinis: sed ordo inter societates diiudicandus non est ex aliquo medio sed ex ipso fine.

Instant: repugnat hospitem in alterius territorio dominari.

Resp.: 1) de hospitibus non agitur, sed de sociis qui utriusque societatis sunt membra; 2) fallit aliquando principium: non repugnat enim hospitem aliquem in alieno ter-

ritorio ius servitutis activae acquirere, et potest aliqua societas inveniri quae, ob excellentiam sui finis, tale ius merito exigere possit, quatenus ad sui conservationem necessario requiratur (1).

II. In conflictu duarum societatum quae iisdem constant membris, vincere debet quae rationem *necessitatis* pro se habet, vinci quae solam *utilitatis* rationem.

Resp.: 1) haec assertio *obscuritate* et *ambiguitate* non vacat: si enim de solis utilibus agitur, nulla ea exigendi potestas, ergo nullus conflictus (2); 2) si *utile* intelligitur *necessarium* saltem ad finem *totaliter* obtinendum, falsum est effatum. Potest enim societas superior, v. g. Status, aliquam societatem inferiorem tollere quae ipsum impedit ne finem suum integre obtineat, causans perturbationem ordinis vel in periculum adducens generalem civium prosperitatem (3).

(1) Tarq. n. 35. Cf. infra obiectiones contra Ecclesiam, societatem perfectam.

(2) Cf. supra p. 24.

(3) Tarq. n. 35. II.

QUAESTIO I.

De Ecclesiae potestate in se et quoad sua membra considerata

Praenotanda. Status quaestionis et divisio tractatus.

Ex tractatu dogmatico de Ecclesia Christi sequentia assumimus ut demonstrata: Ecclesiam esse societatem a Christo institutam, ut visibilem, — cum fine homines ducendi ad beatitudinem supernaturalem, in altera quidem vita obtinendam, ita tamen ut in vita praesenti iam ad eam ordinentur, — qui finis, omnium altissimus et perfectissimus, — necessarius cuilibet homini est ex divina voluntate obtinendus, nec aliter obtineri potest nisi in Ecclesia et per Ecclesiam [1].

Iamvero cuiuslibet societatis potestas ad eiusdem finem assequendum proportionem habeat necesse est. Ergo Christus, Ecclesiae auctor et institutor, eam certo instruxit potestate ad finem proportionata, secus sibi ipsi contradixisset, quod nefas est vel cogitare.

Ad hanc potestatem demonstrandam contra non paucos

[1] Cf. Phil. Hergenröther, Lehrbuch des Kath. Kirchenrechts (ed. 2, Hollweck), l. I, § 3 sq.

adversarios duplex via aperitur: prior *directam* investigationem instituit documentorum ex S. Scriptura, Traditione catholica et magisterio ecclesiastico desumptorum, quibus voluntas Christi nobis patefit; et haec methodus apprime viro christiano convenit et probatur.

Ratione tamen *apologetica* quibusdam alia aptius videtur via eligenda, ne statim ab initio dissentiant ab his qui de nomine Christianorum sibi blandientes, suis abrepti praeiudiciis, plures Ecclesiae potestates admittere abhorrent. Timendum enim est ne aures occludant, vel argumenta scripturistica et traditionalia a vero sensu detorquere eorumque vim enervare conentur. Si vero cum iis aliquamdiu pergi poterit, sperandum est fore ut postea libentius ad conclusiones admittendas adducantur, quae statim propositae eorum animum offendissent. Unde hi melius iudicant ita procedere ut, prius indolem considerantes societatis perfectae in genere, cum adversariis conveniant circa naturam et extensionem potestatum talis societatis. Quo facto, gradum facient ad ostendendum Ecclesiam esse societatem perfectam, et vi logicae, ipsos adversarios convincent de necessitate admittendi has potestates ipsi Ecclesiae competere.

Processus noster potius primam adhibebit methodum; cum tamen iam in praenotandis ostenderimus quid potestatis conveniat societati perfectae, commodis alterius methodi non privabitur. Iam scimus ex tractatu dogmatico de Ecclesia quod Ecclesia Christi sit societas perfecta, (quod ceterum hic etiam breviter ostendetur): logice ergo concludendum erit competere Ecclesiae sive in sua membra sive in extraneos, illas omnes potestates quae societati perfectae vindicatae fuerunt. Et illa *indirecta* probatio brevi quidem in memoriam revocabitur pro unaquaque potestate. Adiungetur *directa* probatio ex *S. Scriptura* et *Traditione*. Ex scopo tamen et methodo Institutionum iuris publici ecclesiastici, probatio illa compendiose tantum habebitur, ne provinciam tractatus dogmatici occupare videamur; paulo magis evolvenda erunt argumenta strictius *canonica* ex *docu-*

mentis ecclesiasticis et praxi iuridica deducta; praesertim vero insistendum erit in quaestionibus iuridicis quae cum variis Ecclesiae potestatibus arcte connectuntur et quae contra varios potestatis civilis conatus et abusus, ad deprimendam Ecclesiae potestatem eiusque libertatem coarctandam invectos, magnae sunt utilitatis.

Talis erit ergo processus noster. Primo loco ostendemus breviter Ecclesiam esse societatem sui iuris, independentem et perfectam, (quae tria eumdem fere conceptum exprimunt); mox varias *potestates* Ecclesiae vindicabimus quae ipsi *in propria membra* competunt *(Quaestio I)*. Dein gradum faciemus ad *relationes Ecclesiae* cum *societatibus civilibus (Quaestio II;* cui adnectetur *conspectus historicus* de his relationibus per varias epochas). Cum autem saepissime nunc relationes Ecclesiae cum Statibus per *conventiones* seu *concordata* vel clarius explicentur vel etiam modificentur ex mutuo consensu, apte videtur subiungenda tractatio *de Concordatis (Quaestio III)*. Ultimo loco, si per tempus licebit, *de immunitate* Ecclesiae tractabitur, indicatis etiam practicis huius immunitatis corollariis quoad ministros Ecclesiae, bona, loca ecclesiastica etc. *(Quaestio IV)*.

Sed antequam probetur Ecclesiam esse societatem perfectam et eius potestas vindicetur, utile erit conspectum quemdam errorum eius potestati oppositorum praemittere.

I. Errores de potestate Ecclesiae.

[*Card. Hergenröther, Katholische Kirche und Christlicher Staat,* (trad. ital. *La Chiesa cattolica e lo Stato cristiano*) *passim, cf. in Indice voces: Marsilius, Richer, Febronius etc.; Phillips, Kirchenrecht* (*trad. Crouzet, Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*), § *133-136; Wernz, Ius Decretalium, t. I, n. 30-35; Aichner, Compendium Iuris ecclesiastici, § 41-44. Cavagnis, Institutiones iuris publ. eccles. l. II, c. II; Moulart, L'Eglise et l'Etat, l. I, c. III.*].

Adversarii practici. — Inter adversarios potestatis ecclesiasticae non *proprie* recensemus eos qui potius *violentia* et *armis* iura ecclesiastica sibi usurparunt quam *argumentis* eis contradicere conati sunt: hoc saepe fecerunt Imperatores sive Byzantini sive etiam Germanici, sed et Reges et Principes non pauci qui, ex dominandi cupiditate, sibi practice omnem vindicabant potestatem etiam contra iura et praerogativas Ecclesiae.

Nec multum est insistendum erroribus *Wicleffii* et *Hussii* qui non tam doctrinam condiderunt quam iniurias contra R. Pontificem et hierarchiam protulerunt, quique ceterum omnia sus deque vertebant. Damnati sunt a Martino V in Concilio Constantiensi, sess. VIII et XV (1).

Protestantes. — Ipsi *Protestantes,* praesertim antiquiores, nobis directe non adversantur: omnem Ecclesiae *visibilitatem* reiicientes, quasi *a priori* eius *potestatem* ut *independentem* et *a Christo ortam* negabant. Ecclesia enim, si ipsis credatur, ex institutione Christi est coetus invisibilis omnium et solorum *fidelium*, i. e. *sanctorum* qui soli Deo sunt cogniti (ita Lutherus), vel *praedestinatorum* (sic Calvinus). Natura quidem duce, Christiani in societates convenerunt, at societates illae non sunt proprie Ecclesiae Christi. « *Pastores* » seu *ministri* aliquam a populo Christiano *delegationem* obtinent ad praedicandum, ad administranda sacramenta, at *nullam* veram *iurisdictionem* exercent: per eam enim mutaretur Ecclesiae natura contra voluntatem Christi, et fieret Status in Statu, contra potestatem et iura Principum (2).

Brevi autem factum est ut Protestantes potestatem, quam Ecclesiae ut propriam et independentem denegabant, ipsis Principibus in Ecclesiam attribuerent, ad quod iustificandum varia excogitaverunt systemata, de quibus infra agetur in historica expositione relationum inter Ecclesiam et Status (*Quaest. II, P. IV*).

(1) Denzinger-Bannwart, Enchiridion, n. 581 sq.; 627 sq.
(2) G. Wilmers, De Christi Ecclesia, n. 13.

Multi ex recentioribus Protestantibus, qui fere rationalistae sunt, ad scholas Positivistarum et Historicorum apte reducentur (1).

Marsilius Patavinus. — Directi thesis nostrae adversarii sunt illi qui, admittentes Ecclesiam catholicam esse unice veram et a Christo fundatam ut societatem visibilem, vel aperte vel aequivalenter negant eam esse societatem perfectam, cum ab ipsa omnes aut aliquas perfectae societatis potestates detrahant. Quorum omnium dux et antesignanus merito habetur Marsilius Patavinus, qui sequaces habuit *Regalistas*, *Gallicanos*, *Iansenistas*, *Febronianos* et *Iosephistas*, de quibus singillatim aliquid est dicendum. Immo et ipsi Protestantes Marsilium ducem habuerunt, cuius librum denuo publicari auctores fuerunt.

Iam Gulielmus Occam, « *doctor invincibilis* », dux Nominalistarum, favere volens praetentionibus Philippi Pulchri, Regis Galliae, et Imperatoris Ludovici Bavari, aliquod systema adumbraverat quod potestates papalem et imperialem fere aequabat et, quam maxime poterat, spiritualem potestatem coarctabat (2). At longe celebriorem celebritatem nactus est, funestioremque influxum exercuit liber « Defensor pacis » quem Marsilius cum Ioanne de Ianduno publicavit. Marsilius de Menandrino, vulgo Patavinus a loco originis dictus, rector fuit Universitatis Parisiensis. Liber cum suis auctoribus damnatus est a Ioanne XXII, 23 Oct. 1327. Marsilius a. 1343 decessit, Ecclesiae non reconciliatus.

a) In opere praecitato dependentia Ecclesiae a societate civili ita asseritur ut vix non plena servitus inducatur (3). Quaelibet potestas fori externi quoad ipsas res ecclesiasticas ab ea tollitur. Ipsius Imperatoris est leges pro vita ecclesiastica et religiosa condere, dies festos instituere; ab ipso pendet valor decretorum disciplinarium etiam a Con-

(1) Cf. infra, p. 53.
(2) Phillips, Kirchenrecht, t. III. § 132, trad. Crouzet, p. 182.
(3) Hergenröther-Hollweck, n. 99.

ciliis generalibus latorum, valor excommunicationis et interdicti; ad ipsum potestas in ieiunia et canonizationes pertinet (Parte III, c. 34), appellationes a iudiciis (c. 37), designatio ministrorum et beneficiatorum (c. 23), ipsa promotio, suspensio et depositio R. Pontificis (c. 41).

b) Quod si quaeratur undenam talis potestas Imperatori veniat, praesto est responsio. Potestas spiritualis a Christo ipsi *societati fidelium* concredita est. Haec societas est « *legislator humanus fidelis* » quem Marsilius plena potestate spirituali investit (cf. c. 16, 18, 21 et passim). Non negat equidem, aperte saltem, existere in societate ecclesiastica supra simplices laicos aliquam Ordinis hierarchiam institutionis divinae, at 1) tenet « quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt ex institutione Christi auctoritatis et iurisdictionis aequalis » ([1]); 2) nullam *iurisdictionem* immediate a Christo acceptam penes ipsos agnoscit. Omnis quippe potestas *ipsi populo Christiano directe* et *immediate* committitur et ab eo transfertur *directe* ad *Principes* fideles, maxime ad *Imperatorem*, inde ad *Episcopos* per *Imperatorem* vel *Principes*. Si vero Principes non sunt Christiani, tunc populus potestatem directe Episcopis transmittit, sub auctoritate tamen populi et Principum exercendam.

c) *Delegata* manet semper huiusmodi potestas, proinde *mutationibus* et *revocationi* obnoxia, cum ultimas radices in coetu fidelium defigat ([2]).

Nil mirum quod tandem populo christiano magnum influxum in legislationem ecclesiasticam, quin et in ipsas definitiones fidei vindicet ([3]). Adde quod Marsilius Ecclesiae denegat ius independens possidendi bona temporalia: « Quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt Imperatori et ea potest accipere ut sua » (prop. 1); quod tollit ab ea potestatem coactivam: « Quod tota Ecclesia simul iuncta nullum homi-

([1]) Prop. 4, Denz.-Bann. 498.
([2]) Defensor Pacis, Part. I, c. 12, 13, 14. Cf. Card. Hergenr. I, p. 212-3.
([3]) Part. III, c. 2, 5, 8.

nem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc Imperator » (prop. 5) (1).

Unde tandem dici potest Marsilium totam Ecclesiae constitutionem evertere: quoad potestatem Papae et Episcoporum, quoad naturam Societatis inaequalis cum hierarchia Jurisdictionis a Christo ipso instituta, quoad veram potestatem legiferam, administrativam, praesertim vero coactivam (2).

Regalistae et Gallicani. — Inde a tempore Philippi Pulchri, qui tam acriter contra Bonifacium VIII contendit, nunquam defuerunt in Gallia iurisperiti et legistae qui Gulielmi Occam et Marsilii vestigia prementes, potestatem regiam omnibus viribus extollerent, pontificiam vero deprimerent. Qui conatus et impugnationes quasi sedem fixam apud multa Regni *Parlamenta*, praesertim vero *Parisiense*, obtinuerunt, dum e contra Episcopi et clerus per multos annos his tentaminibus fortiter restiterunt. At magnum Occidentale Schisma, postea tumultus protestantici, amorem et reverentiam erga S. Sedem imminuentes, infausta incrementa his erroribus praebuerunt, quibus paulatim ita imbuta est pars haud parva cleri, praesertim saec. XVII, ut potuerit ad celebrem declarationem anni 1682 pervenire; in qua tamen omnino iniustum esset sententiam universae ecclesiae Gallicanae agnoscere. Inter Regalistas praecipuum locum tenet *Edmundus* Richerius (Richer) (1560-1631) cum operibus quibus tituli: Libellus de ecclesiastica et politica potestate; Liber de eccl. et pol. pot.; Demonstratio libelli de eccl. et pol. potest., quae omnia in Indicem relata sunt. Richerio praeiverat Petrus Pithaeus (Pithou), Les libertés de l'Eglise gallicane; ipsum secuti sunt Petrus de Marca, Joannes Launoy, nec non viri plures eruditione historica praeclari at perversis principiis non parum addicti, ut Quesnel, Du-Pin, Maimbourg, Baluze (3).

(1) Denz-Bannw. 495, 499.
(2) Cf. Card. Hergenr. II, p. 511; Hergenr.-Hollw. n. 263.
(3) Wernz, I, n. 322, not. 56. Phillips, Kirchenrecht, t. III, § 135.

Hi omnes Ecclesiam faciunt *a Statu dependentem* et ita gradatim deprimunt varios ordines hierarchicos in Ecclesia ut tandem *omnis potestas originarie apud populum* christianum reposita declaretur. Et Papa quidem inferior est Concilio Oecumenico (1); sed et ipsi Episcopi in Concilio non sunt nisi delegati suarum ecclesiarum (2), parochi e contra, de iure divino membra sunt hierarchiae iurisdictionis, utpote 72 discipulorum successores (3). Et tandem sive Papa, sive Episcopi, sive sacerdotes *ministerialiter* tantum potestatem ecclesiasticam exercent, cum *immediatius* atque *essentialius* ipsi populo christiano claves tradiderit Christus; debet equidem populus potestatem Episcopis et presbyteris transmittere (et hoc asserens differt Richerius a Marsilio) at penes ipsum manet ius *mutandi* et *revocandi* facultates concessas (4). Quamvis *Gallicani* non ita profunde de potestate Ecclesiae errarent, et potius de R. Pontificis *primatu* male sentirent, quem *Concilio inferiorem* et, in exercitio suae potestatis, sive *canonibus* Conciliorum generalium sive *consuetudinibus* Ecclesiarum particularium ligatum asserebant, inde tamen ad hoc pervenerunt ut Statum facerent societatem, non tantum in suo ordine et quoad finem suum, supremam et independentem, sed in omni ordine et quoad omnia ab Ecclesia prorsus independentem. Immo ulterius procedentes et quasi necessitate quadam logica compulsi, *practice* Ecclesiam Statui subiecerunt, ipsi in Statum nil nisi persuasionem et consilia relinquentes, e contra sub nomine « *libertatum gallicanarum* » multiplicem Statui in Ecclesiam potestatem tradentes, inter quas *appellationem ab abusu, Placitum Regium* cum *canonum custodia,* sub quo nomine latet ingerentia omnimoda Status sub praetextu abusus tollendi, Ecclesiam defendendi, etc. Quas libertates merito Fenelonius, Archiepiscopus

(1) Herg.-Hollw. n. 448. sq. Card. Herg. II. p. 1013, not, 7.

(2) Card. Herg. p. 1023.

(3) Herg.-Hollw. n. 437.

(4) Herg.-Hollw. n. 263. Card. Herg. p. 470; Moulart, L'Eglise et l'Etat, L. I, c. III, art. 1, § 2.

Cameracensis, vocabat: « servitutes erga Regem, et adversus R. Pontificem licentiam » (1).

Jansenistae. — Quamvis doctrinaliter in multis a Gallicanis discreparent Jansenistae, ipsis tamen sese contra auctoritatem R. Pontificis coniunxerunt. Praeter errores de R. Pontifice, plures etiam contra potestatem Ecclesiae legiferam, iudicialem, coactivam admiserunt, qui in Synodo Pistoriensi a. 1794 alte proclamati, a Pio VI per Bullam « Auctorem fidei » confixi sunt (2).

Febroniani et Josephistae. — Nicolaus de Hontheim, suffraganeus Archiepiscopi Trevirensis, discipulus jansenistae Belgae Van Espen, sub nomine fictitio Iusti Febronii, a. 1763 publicavit librum « De statu Ecclesiae » qui a Clemente XIII anno sequente damnatus est. Totus est Febronius in deprimenda R. Pontificis potestate in quo merum primatum *consociationis* agnoscit, ad unitatem servandam a Christo concessum, et tantum per vigilantiam, directionem et consilia exercendum. Conciliis generalibus supremam dat potestatem, ad quae a Papa appellare licet; neque *leges* pontificiae *universalitatem* habent neque *decisiones* eius *doctrinales infallibilitatem,* nisi in Concilio latae et ab eo approbatae fuerint vel, deficiente Concilio, consensum Ecclesiae per orbem dispersae obtinuerint.

Episcoporum potestas non minus Iurisdictionis ac Ordinis est immediate a Christo, absoluta circa fidem et disci-

(1) Cf. apud Denz-Bannw. n. 1323 sq., articulos cleri Gallicani, damnatos in Constit. « Inter multiplices », 4. Aug. 1690. Cf. Philipps, t. III, § 135.

Inter 83 libertates Ecclesiae Gallicanae quas enumerat Pithoeus in opere citato, vindicatur Regi potestas convocandi Concilia nationalia, ordinationes ecclesiasticas condendi, legatis pontificiis exercitium suae iurisdictionis in Galliis interdicendi, nominandi ad ecclesiastica officia, ministros Ecclesiae puniendi pro omni culpa, ius Regii Placet, appellationis ab abusu, appellationis a Papa ad Concilium. Duo principia omnia comprehendunt: Reges nostri a Papa in temporalibus sunt independentes (art. 4); potestas R. Pontificis per sacros canones est limitata (art. 5 et 6). Cf. Herg.-Hollw., n. 105.

(2) Cf. prop. 4, 5; 59, 60 etc. Denz-Bannw. 1504-5, 1559-60.

plinam, et a nemine coarctari potest quoad res vel personas (1).

Sed his non contentus, Febronius, minus sibi cohaerens, in errores Marsilii et eius sequacium incidit: non obscure enim innuit Christum ipsi Ecclesiae, i. e. coetui fidelium, omnem potestatem tradidisse *radicaliter* et *principaliter*, ecclesiasticis autem magistratibus *usualiter* et *usufructualiter*. Tenet tamen cum Richerio populum debere hanc suam potestatem ministris Ecclesiae transmittere (2).

Potestas haec Episcopis apparenter concessa, ut ipsius R. Pontificis auctoritas deprimeretur, logice ad servitutem erga Statum ducit, ut iam advertebat Clemens XIII in sua epistola ad Archiepiscopum Moguntinum: qui enim centrum unitatis et robur a S. Sede detrahunt, in Principibus haec necessario constituent. Hinc varia iura Ecclesiae, potestati civili tradita, excogitatum *ius* quoddam *ordinandi* quod fere ad universam vitam exteriorem Ecclesiae sese extendit: ad Conciliorum convocationem, immunitatum concessionem et revocationem, disciplinae reformationem, bonorum temporalium Ecclesiae administrationem; necnon ad *ius cavendi*, seu contra eam se protegendi, praesertim per Regium Placitum et appellationes ab abusu, *ius protectionis* seu *advocatiae*, quo, sub nomine protectionis violabatur libertas Ecclesiae et inducebatur eius servitus (3).

Iosephinismus tandem addidit Febronianismo theoriam *iuris eminentis* Status in omnia bona et iura non tantum privatorum sed etiam Ecclesiae. Quod logice procedebat ex placitis iurisconsultorum huius temporis qui, ultra omnem modum, potestatem Imperatoris in subditos extollebant; insuper religionem spectantes ut efficacissimum medium promovendi societatis civilis salutem, concludebant Imperatoris partes esse pietatem subditorum omnibus modis excitandi, indeque ingerentiam omnimodam in cultum et disciplinam

(1) Card. Herg. II, p. 881, not. 2.
(2) Herg.-Hollw. n. 106.
(3) Phillips, t. III, § 136. Wernz, t. I. n. 35, II.

ipsi tribuebant. Immo in ipsa religione distinctionem inducebant inter ea quae *essentialia* sunt et circa quae omni studio invigilare debet Status ut recte doceantur et ad unguem observentur, et *accidentalia* quae supprimere potest Status, si sibi nocere iudicaverit (1).

Positivistae et historicistae. — Ultimum adversariorum agmen constituunt hodierni Positivistae qui omnia iura a societate civili repetunt. Quem errorem condemnavit Syllabus in prop. 39: « Reipublicae Status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis limitibus circumscripto ». Hi, plus minus adhaerentes placitis Hobbes, Bentham, de Hartmann, Augusti Comte, necnon aliquatenus et ipsius Kantii qui ordinem moralem a iuridico sejungit, auctoritatem civilem omnium iurium fontem habent, vel cum Rousseau omne ius ex pacto quodam tacito vel expresso derivant (2).

Ius enim, iuxta ipsos, nil aliud est quam facultas exigendi id quod vi physica obtineri potest; sed est contra ordinem publicum quod alius praeter auctoritatem civilem vi physica utatur, ergo auctoritas civilis sola potest esse fons omnium iurium, quae dat et sancit in aliis.

Si iam iura naturalia reiiciunt isti, nil mirum si iura denegent quae revelationi supernaturali innituntur. Absurdum esse declarant quod Ecclesia ius morale habeat vindicandi etiam vi suas potestates in propria membra: repugnat enim in eodem territorio duas potestates vi physica repetere posse sua iura. Admittunt tamen aliqui existere penes Ecclesiam facultatem *moralem*, i. e. quae in conscientia fideles liget, nondum tamen *iura proprie dicta*, donec talia ipsi per Statum donentur.

Ab his Positivistis parum differt schola « *historica* » quae cum Schulte et aliis applicat iuri ecclesiastico theoriam pro iure civili a F. de Savigny excogitatam et a Puchta, Stahl et aliis propugnatam. Haec quoque admittit Statum esse

(1) Aichner, Compend. Iuris eccles. § 44.
(2) Cf. Cathrein, Philosophia moralis, n. 237.

iurium causam *efficientem*, at causam *proximam* tantum, praeter quam alia *remota* est statuenda, i. e. *consuetudo* per populi mores introducta. Contendunt enim se ex historia demonstrare efficaciam maximam attribuendam esse ad iura constituenda populi moribus et consuetudini per mores introductae. Hinc limitatur, ut putant, arbitrarium auctoritatis civilis in iuribus condendis, quae tamen sine illius interventu realiter non existunt.

Quid in utraque sententia, Positivistarum et Historicorum, de lege naturali, de potestatibus ecclesiasticis maneat, facile excogitari licet. Lex naturalis ad summum principia quaedam, vel facultates aliquas morales praebet quae conscientiam ligant, nulla vere et stricte dicta iura. Ecclesia vero ad statum corporationis alicuius reducitur, seu minoris societatis in Statu inclusae, sub auctoritate eius constitutae, cuius constitutio pro variis locis varia est, cum omnia eius iura a Statu pendeant.

Multi ex recentioribus Protestantibus, vix non rationalistae, etiam historice putant se originem potestatum ecclesiasticarum explicare. Reducunt quidem totam hierarchiae constitutionem ad humanam institutionem, cuius genesim per naturalem rerum progressum et evolutionem explicant. Qui initio exstiterunt bonorum *administratores* seu *oeconomi* communitatis ecclesiasticae (*episcopi*), vel naturales *consiliarii* et *duces* (*presbyteri*), paulatim ad munus regendi et docendi alios evecti sunt vel sese evexerunt, contra Christi dispositionem et etiam voluntatem. Sic Ritschl, Hatch, Harnack [1].

Conclusio. — E valde diversis principiis exordientes, ad eamdem fere conclusionem perveniunt omnes adversarii thesis nostrae de potestate Ecclesiae, i. e. Ecclesiam omnino dependentem a Statu faciunt. Alii quidem *claris verbis* et *sine ambagibus* hanc dependentiam asserunt: sic Marsilius, Regalistae, Positivistae et Historici; alii vero *practice*, quamvis *non explicitis verbis*, ad idem perveniunt; nempe Galli-

[1] Cf. Pesch, Theol. dogmat. t. I. n. 356. Hammerstein, De Ecclesia et Statu, p. 35 sq.

cani, Febroniani, Josephistae. At Marsilius, Richerius, (Febronius etiam aliquando, etsi non tam explicite) totam potestatem *in coetu fidelium* a Christo depositam autumant, cui competit *immediatius* et *essentialius* (Marsilius) *principaliter* (Richer) *principaliter* et *radicaliter* (Febronius); a coetu fidelium ad magistratus Ecclesiae transmittitur qui eam exercent ex populi *delegatione,* quibusque proinde a Christo conceditur *ministerialiter* (Richer), *usualiter* et *usufructualiter* (Febronius).

Positivistae et Historici, rationalisticis principiis imbuti, institutionemque divinam Ecclesiae contemnentes, omnem potestatem *a societate civili,* utpote omnium *iurium fonte* et *origine,* derivant.

Gallicani tandem, Febronius ipse (qui sibi saepe non tam plene constat) et Josephistae, melius de vera Ecclesiae essentia sentientes, potestatem tamen regiam prorsus exaggerantes, eamdem fere pro Ecclesia servitutem inducunt et praesertim R. Pontificis potestatem extenuant.

Qui ita deprimunt vel tollunt potestatem Ecclesiae in genere, debuerunt etiam errare, in specie hanc vel illam potestatem ab ea detrahentes, et quidem ius *leges ferendi* limitantes per *influxum populi christiani,* (cum leges ecclesiasticas valere neget Marsilius, nisi sint a coetu fidelium confirmatae; iuxta Richerium vero valor legum saltem *in actu secundo,* i. e. quoad *formalem* et *actualem* causam *obligandi,* a coetu fidelium pendeat); ius *administrandi,* per necessitatem *Placiti Regii,* ius *iudicandi,* per *appellationem ab abusu* ligant Regalistae, Gallicani, Febronius et Iosephistae; praesertim vero invehuntur omnes in potestatem Ecclesiae *coactivam* in foro externo quam etiam quoad poenas *spirituales* limitant (Marsilius), maxime vero quoad *temporales,* praesertim si exercenda est in Reges et Principes (Richerius, Gallicani, Iansenistae, Febronius, Iosephistae).

II. Ecclesia est societas perfecta.

(*Cf. Tarquini, Iuris eccl. publ. Institut. n. 40 sq.; Tractatus dogmat. de Ecclesia, v. g. Pesch, tom. I, prop. 35; Wilmers, De Christi Ecclesia prop. 29, 30*).

Proficiscentes ex his quae in Theologia dogmatica probantur et quae initio quaestionis primae (1) in memoriam revocavimus, nempe Ecclesiam esse societatem a Christo Domino fundatam, visibilem, omnibus necessariam, cuius finis omnium altissimus et perfectissimus est adeptio vitae aeternae, gradum facimus ad demonstrandum societatem hanc esse *perfectam*. Perfectam vero eam dicimus quae *in se habet* vel *ab aliis iuridice exigere potest* omnia quae ad finem suum attingendum ipsi sunt necessaria. Inde omnino sequitur talem societatem esse *sui iuris et ab aliis independentem* in ordine ad finem suum et ad media talem finem obtinendi. Agitur, ut patet, de independentia iuridica quae non excludit *relationes* etiam *necessarias* cum aliis societatibus, sed quae excludit in ordine ad finem proprium omnem *subordinationem* erga illas; haec subordinatio, non autem relationes illae contradicunt definitioni societatis perfectae (2).

Fatendum est non exprimi disertis verbis in S. Scriptura vel Traditione divina hoc Ecclesiae attributum, at deducitur ope ratiocinii ex documentis positivis, unde demonstratio nostra potius ex ratione theologica erit, seu positivo-rationalis. Incipiemus ab his argumentis quae a fontibus revelatis immediatius derivantur, deinde ea sumemus quae potius generali oeconomiae institutionis Ecclesiae a Christo innituntur, quibus documenta ecclesiastica subiungemus quae eamdem thesim comprobant. Absolvetur demonstratio difficultatum oppositarum solutione.

(1) Supra, p. 43.
(2) Cf. Liberatore, n. 11. Hammerstein, p. 73, 74.

Ex S. Scriptura. — Argumentum deducitur ex verbis Christi ad Petrum: « Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». (Matth. XVI. 18-19. Cf. ib. XVIII. 18, ad omnes Apostolos). In his verbis asserit Christus Ecclesiam suam fundari in ipsum Petrum, ita quidem ut ab isto fundamento totum suum robur sortiatur, unde omnibus inimicis resistere valeat, contra quod omnes adversae potestates incassum irruent et confringentur (1).

Iamvero si Ecclesia non est societas perfecta, a societate civili perfecte independens, non verificantur promissiones Christi. Etenim vel potestas civilis Ecclesiae favebit: tunc haec ex illa, non a Petro, robur habebit; vel Ecclesiae adversabitur, tunc opprimetur Ecclesia, et potestates *adversae* (quae non raro sunt potestates civiles) ipsi praevalebunt, non *vi physica* tantum, sed et *iuridice*.

Si dices: Status vim physicam, nullum ius habebit contra Ecclesiam, quam protegere, non opprimere debet; tunc respondemus: aut admittis esse penes Ecclesiam *ius morale, inviolabile* hanc defensionem et protectionem exigendi, et nobiscum sentis, et Ecclesia est societas perfecta; aut supponis nullum ius *strictum* Ecclesiae competere nisi *ex Statu,* et tunc in eamdem difficultatem reincidimus: omne robur, omnem potestatem contra portas infernales Ecclesia a Statu mutuatur. Immo, ex Christi voluntate, arbitrio Status subiiceretur, nam tandem, in casu conflictus, ultima determinatio penes societatem superiorem, quae erit Status, esse oportebit.

Confirmatur argumentum ex iisdem verbis: « Quodcumque ligaveris... Quaecumque alligaveritis... », per quae Petro et Ecclesiae plenam potestatem iurisdictionis tribui exegetae et theologi ostendunt; sed plena iurisdictionis potestas omnes facultates includit quae societati perfectae competunt.

(1) Cf. Tarquini, n. 45.

Talis potestatis limites non arbitrarie, sed ex voluntate Christi explicita vel implicita erunt demonstrandi (1).

Doctrina et praxis Apostolorum. — Argumentum aliud suppeditatur per doctrinam et praxim Apostolorum qui sibi, verbis et factis, potestatem vindicaverunt, a potestate civili prorsus independentem. Iam Apostoli, Hierosolymis adunati, sic fratribus qui Antiochiae erant, rescribunt: « Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, *quibus non mandavimus, placuit nobis*, etc. Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra *imponere vobis* oneris quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, etc.... » (2). Audiatur quo modo obedientiam exigat Paulus, « Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem » (3), qui cognoscere vult « an in omnibus obedientes » sint Corinthii, qui declarat se in promptu habere « ulcisci omnem inobedientiam » (4), « secundum potestatem quam Dominus dedit » illi (5). Quae verba sunt certe illius, qui plenam sibi auctoritatem vindicat, ut legislator et superior, potestate praeditus (6). Cuius argumenti ex verbis et praxi Apostolorum deducti, adhuc magis augetur valor ex eo quod neque Christus neque Apostoli ullum unquam verbum fecerunt de suprematia quadam potestatis civilis in ~~erga~~ Ecclesiam: immo Apostoli independenter prorsus ab ea praedicaverunt, leges tulerunt, excommunicaverunt, ut fecit Paulus erga Corinthium incestuosum, erga Hymenaeum et Alexandrum (7).

Sed obiicietur forte Apostolos fidelibus praecepisse ut regibus obediant. Et merito quidem hoc fecerunt, at in rebus *civilibus*, non in *religiosis* obedientiam praeceperunt. Quin

(1) Cf. Hammerstein, De Eccl. et Statu, p. 71 sq.
(2) Act. XV, 24-5, 28-9.
(3) Gal. I. 1.
(4) 2. Cor. X, 6.
(5) 2. Cor. XIII, 10.
(6) Cf. Hammerstein, l. c. p. 37, 44.
(7) 1. Cor. V. 5; 1 Tim. 1. 20.

immo et Principibus populi iudaici aperte restiterunt, dicentes: « Obedire Deo oportet magis quam hominibus » (Act. V. 29). Luculenter ostendunt tria priora Ecclesiae saecula quomodo Christiani, summae obedientiae erga Imperatores et Reges in rebus civilibus et licitis, invincibilem et heroicam resistentiam unire sciverint, quotiescumque de religione servanda, de Ecclesiae praeceptis observandis contra iussa Principum ageretur.

An dicetur potestatem in Ecclesiam, cuius obtinendae propter infidelitatem incapaces erant Imperatores pagani, Principibus *christianis* competere? At unde haec deducuntur? Ne verbum quidem Christi pro hac assertione afferri potest; quin et ipse dicit: « Reddite ergo quae sunt *Caesaris, Caesari* et quae sunt *Dei, Deo* » (1). Estne *Caesaris,* ex ipsa natura rei, potestas spiritualis? E contra ordo temporalis est a spirituali prorsus diversus, ipsique longe inferior.

Et si tandem declaretur: sunt *Principes* christiani, ergo praecipere possunt: respondetur: ergo dominari debent Ecclesiae? an potius sese filios obedientes in rebus fidei et morum probare? Et inde ducimur ad argumentum secundum quod ex dictis Patrum et antiquorum Ecclesiae scriptorum eruitur.

Argumentum ex Ecclesiae antiqua doctrina. — Iam *S. Ignatius M.* ad Ephesios scribebat: « Manifestum igitur est quod Episcopum respicere oportet ut ipsum Dominum » (2). *S. Gregorius Naz.* in Oratione 17 ad Cives Nazianzenos: « Vos quoque, (principes et praefecti), imperio meo ac throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque Episcopi gerimus: addo etiam praestantius ac perfectius » (3). Similia habet *S. Ioannes Damascenus* (Orat. 1 et 2, De imaginibus): « Ne tentes, Imperator, ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prophe-

(1) Matt. XXII, 21.
(2) Migne, P. G. V, 650.
(3) Migne, P. G. XXXV, 975.

tas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, non autem dixit Reges » (1). Notissima sunt verba, apostolica firmitate plena, quibus *Lucifer Calaritanus* Constantium Imperatorem pro Athanasio alloqui non dubitabat; quaeque a Patribus huius aetatis et ab aliis deinceps vehentissime sunt commendata: « Proba te super nos factum iudicem... Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum non dominari Episcopis, sed et ita eorum obedire statutis ut, si subvertere eorum decreta tentaveris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis, quo modo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantum apud Deum, mortis poena fueris mulctatus? » (2).

Alia plurima documenta collegit Roskovány (Monumenta catholica pro independentia potestatis Ecclesiae). Et ipse Hase, acerrimus Ecclesiae catholicae adversarius, fateri coactus est: « Catholicorum sententia vel in ipsis iam invenitur Ignatii epistolis ». (3)

Quam potestatem agnoverunt Principes christiani praxi et ipsis verbis, quando superbia et dominationis siti sese trahi non passi sunt; sufficiat verba Ludovici VII, Regis Galliae, ad Fridericum I Imperatorem adducere, qui, commemorans quo modo Christus oves pascendas Petro commisisset, addebat: « Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Praelati excepti? ». Longum esset exempla et verba Imperatorum et Regum referre qui post Constantinum, Theodosium, Carolum Magnum, hanc Ecclesiae potestatem explicite vel saltem factis agnoverunt (4). « Quin etiam opinione et re », ait Leo XIII, auctoritatem Ecclesiae « probarunt ipsi viri Principes, rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere

(1) Vide plura alia testimonia apud Cavagnis, I, n. 228.
(2) Cf. Tarquini, I, n. 45.
(3) Hammerstein, De Eccl. et Statu, p. 46.
(4) Cf. Tarquini, n. 45. b

cum Ecclesia tanquam cum suprema potestate legitima consueverunt » (1).

Argumentum rationis theologicae ex generali oeconomia Ecclesiae institutionis. — Societas perfecta, ex ipsa definitione, ea est quae in se habet vel ab aliis iuridice exigere potest omnia media quae ad finem suum consequendum ipsi sunt necessaria. Iamvero ex fine quem Christus Ecclesiae praestituit, necessario asserendum est eam tali potestate gaudere.

Ecclesia enim habet finem omnium sublimissimum, praestantissimum, maxime necessarium, quem in ea sola et per eam solam, ex voluntate Christi, homines consequi possunt; sed repugnat talem societatem non habere in se omnia necessaria ad hunc finem attingendum: secus enim penderet a societatibus inferioribus in ordine ad suum finem. Impossibile autem est, Deum, qui omnia ordinate disposuit, voluisse ut a societate inferiori penderet illa, quae finem adeo praecellentem et necessarium habet.

Scite animadvertit Biederlack hoc ratiocinium non valere de qualibet societate finem superiorem habente, bene vero de ea quae, ex ordinatione Dei, finem in suo ordine supremum et necessario obtinendum habet. Non repugnat enim posse societatem impedire quosdam homines, ne propria auctoritate coetum efforment ad aliquem scopum valde nobilem, puta artium vel scientiarum colendarum, vel etiam perfectionis profitendae (extra approbationem tamen ecclesiasticam quae hunc coetum a Statu independentem faceret), si forte causa esset turbationis pro Statu, vel inde privaretur Status quibusdam bonis ad finem suum necessariis, v. g. militibus ad pacem et ordinem tuendum. At, ubi agitur de societate altioris ordinis, quae, ex ipsa Dei voluntate, hominibus necessario modo ingredienda proponitur, ut finem necessarium obtineant, nequit dependere a Statu et ab ipso impediri posse: Deus enim hoc statuens, sibi ipsi contradixisset (2).

(1) Immortale Dei, § Hanc vero auctoritatem.
(2) Bied. Ius publ. p. 46.

Idem argumentum alia forma proponi potest, rationem eruendo ex voluntate Christi, Ecclesiae divini auctoris.

Christus, Ecclesiam instituens, eam instruere debuit omnibus quae ad finem suum attingendum sunt necessaria; atqui ad hoc requiritur ut Ecclesia in se habeat vel ab aliis exigere possit haec media necessaria, ergo.

Ad minorem: secus enim dependeret Ecclesia, quoad finem suum attingendum, a societate inferiori, praesertim civili, quae pro lubitu eam impedire posset a fine suo attingendo. Quae dependentia eo vel magis haberetur quod homines bonis temporalibus et visibilibus potentius attrahuntur: unde fere semper temporalia spiritualibus praeferrentur, et sic evacuaretur tota Christi institutio et frustraretur eius voluntas.

Aliud argumentum suppeditat consideratio **unitatis Ecclesiae**. Voluit Christus Ecclesiam suam esse *fide* et *regimine unam*, sed talis unitas haberi nequit, nisi Ecclesia sit *societas perfecta* et *plane independens a Statu*.

Nulla enim regiminis unitas existere potest ubi Status quilibet intervenire potest, leges ferens, iudicans, coercens. Ad servitutem in regimine brevi alia sequetur multo peior, servitus quoad fidem, nam intimus est nexus inter fidem et regimen et naturali tendentia feruntur gubernantes, si sibi relinquantur, ad dominationem in unam sicut in alterum sibi arrogandam, quo mentes et conscientias subditorum facilius sibi inflectant, sperantes fore ut inde in rebus temporalibus et civilibus perfectiorem obedientiam sibi conciliare valeant.

Ceterum haec assertio nostra non a priori statuitur: sufficit historiam evolvere omnium schismatum et haereseon. Ubicumque potestas civilis Ecclesiae dominari incepit, brevi conata est unitatis vinculum abrumpere, mox autem doctrina sensim quoad plura corrupta est; et si quando haec doctrinae immutatio et corruptio non tam completa evasit, hoc fere tantum inde provenit quod quaedam lethargia et quasi sopor mortis ecclesiam separatam invaserit, ut videre est apud Orientales Schismaticos et apud Russiacos. Quod si

a somno excitantur, quasi sponte sua ad omnes errores vel ad rationalismum aut indifferentismum perducuntur, ut nunc misere evenit apud partem magis cultam cleri Orientalis, praesertim vero in Russia. (Optime de his tractat Phillips, Kirchenrecht, t. III, § 137, 139).

Argumentum ex documentis ecclesiasticis. — Supra, in conspectu historico de adversariis, praecipuas propositiones Marsilii Patavini recitavimus, quae a Ioanne XXII damnatae sunt; indicata est etiam condemnatio errorum Wicleffii et Hussii per Concilium Constantiense, necnon articulorum cleri Gallicani a. 1682, quos iam Innocentius XI per Breve 11. Apr. 1682 reiecerat, Alexander vero VIII, Const. « Inter multiplices », 4. Aug. 1690, damnavit (1). Pius VI in Bulla « Auctorem fidei », 28. Aug. 1794, propositiones plures Synodi Pistoriensis confixit, inter quas sufficiat revocare prop. 2 et 3 quibus exhibetur Richerii systema de potestate ecclesiastica, quae *directe* ipsi populo Christiano, non autem R. Pontifici et hierarchiae ecclesiasticae tradita a Christo asseritur, et prop. 4 et 5 huius tenoris: « Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae et morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis;* quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: — haeretica ».

Prop. 5. « Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi* (ex Bened. XIV in Brevi « Ad assi-

(1) Denz-Bannw. 495 sq.; 581 sq.; 627 sq.; 1322 sq.

duas » a. 1755...): — inducens in systema alias damnatum ut haereticum ».

Adhuc clarius, si potest, vindicatur doctrina de Ecclesia, ut societate perfecta, in Syllabo Pii IX et in Encyclica « Quanta cura ».

Prop. 19. Syllabi ita effertur: « Ecclesia non est vera perfectaque societas, plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus, sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura, ac limites intra quos eadem iura exercere queat ». (Cf. prop. 20, 26, 41). Propositio 19 ad verbum excerpta est ex allocutione « Maxima quidem », die 9. Iunii 1862 habita in Consistorio cui, praeter PP. Cardinales, multi intererant Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi. Post quam Card. Mattei, S. Collegii Cardinalium Decanus, declarationem legit et, nomine suo et omnium Episcoporum praesentium, S. Pontifici obtulit, qua dicebat: « Condemnamus quae condemnavit Sanctitas Tua, detestamur et reiicimus novas et extraneas doctrinas quae ubique terrarum in detrimentum Ecclesiae Iesu Christi sparguntur ». Hanc declarationem subscripserunt 266 Episcopi in Urbe praesentes, ipsique deinde adhaeserunt multi alii.

Iam in Consistorio secreto, 17. Dec. 1860, conquerens R. Pontifex de reiecta in Comitiis publicis Badensibus conventione inter se et Magnum Ducem inita, notabat illa Comitia praecise in errorem Protestantium incidisse, qui Ecclesiam autumant in Statu existere ad modum alicuius collegii, cui nulla insunt iura nisi quae a potestate civili concedantur; addebat autem: « Quae quantum a vero procul sint nemo est qui non videat: Ecclesia, utpote vera perfectaque societas, nullis limitibus circumscribitur, nulli saeculari potestati subiicitur et potestatem iuraque sua exercere debet toto orbe terrarum ad hominum communem salutem » (1).

Hac propositione 19 non solum error configitur eorum

(1) Cf. Choupin, Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège, P. V, prop. 19.

qui Ecclesiam Statui subiiciunt, omnia illius iura a Statu derivantes, sed insuper aperte damnantur negantes Ecclesiam esse societatem *perfectam*. Debet autem sensus huius vocabuli intelligi iuxta sensum quem tunc temporis in Scholis theologicis obtinebat: haec est enim vera interpretationis regula: nisi clare obstet contextus vel aliud exigant extrinsecae circumstantiae, sumendi sunt termini iuxta sensum communiter in Scholis theologicis huius temporis acceptum.

Ceterum habemus authenticam Leonis XIII interpretationem huius vocabuli: Ecclesia, inquit « societas est *genere* et *iure perfecta*, cum *adiumenta* ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, *omnia in se* et *per se* ipsa possideat » (1).

Verum est multos auctores tenere Syllabum non esse definitionem *ex cathedra;* vel enim putant singula documenta ibi contenta non habere plus valoris quam primitus habebant in Encyclicis, Allocutionibus etc., unde desumpta sunt, vel saltem Pium IX noluisse huic catalogo errorum supremum gradum magisterii doctrinalis dare (2). At certe asserendum est non posse sine temeritate reiici ut *erroneam* vel *non probatam* propositionem contentam in hoc Syllabo, qui a R. Pontifice tam solemniter publicatus, toto deinceps orbe terrarum est receptus.

Id a fortiori dicendum est de Encycl. « Quanta cura », quam adhuc numero plures auctores ut definitionem ex cathedra habent (3). In hac Encyclica verba societatis *perfectae* non usurpantur, talis vero per suas notas essentiales aperte designatur: inter praecipuos errores notatur ille quo asseritur « ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et *independentem a potestate civili*, neque huiusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis » (4).

(1) Encycl. Immortale Dei, § Tam ingenti.
(2) Cf. Choupin, l. c. P. III, Ch. III.
(3) Ita inter alios Wernz, I, n. 278, cum nota 58.
(4) Denz-Bannw. 1698.

Unde a contrario asseri debet Ecclesiam esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili et, quando haec attributa sibi vindicat, non usurpare. Plures alii errores in eadem Encyclica condemnantur, quibus haec aut illa iura Ecclesiae denegantur, v. g. « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate », vi carere ubi sunt contra leges civiles; potestatem excommunicandi usurpatores bonorum ecclesiasticorum, coercendi poenis temporalibus violatores legum suarum, non esse penes Ecclesiam etc. (1).

Satisfit obiectionibus. — Duplex praesertim movetur obiectio contra Ecclesiam, ut societatem perfectam: 1) Si Ecclesiae attribuitur character societatis perfectae, erit et ipsa aliquis « Status », at *Status in Statu repugnat;* 2) *Ecclesia non habet territorium:* at existere societatem perfectam sine territorio involvit contradictionem; ergo Ecclesia non est huiusmodi societas.

I. Status in Statu repugnat. — « Notissima haec obiectio prolata est v. g. a Principe Bismarck die 16 Aprilis 1875 in Parlamento Germaniae » (2). Latet in hac voce aequivocatio. Si enim sumitur vox « Status » sensu hodie consueto, per eam designatur *societas civilis* quae aliquam regionem gubernat (puta Imperium, Regnum, Respublica). Sic intellectum admitti potest axioma, saltem hoc sensu quem habet Tarquini (n. 87), fingi scilicet non posse duas societates civiles perfectas quae *omnibus* et *solis iisdem membris* constent; nam non repugnat Statum aliquem in altero maioris extensionis, ut partem in toto, includi, sicut fit in Confederatione Helvetica vel in Statibus Foederatis Americae.

At si Status intelligitur *societas* quaelibet *perfecta,* dicendum est: 1) hanc appellationem minus bene electam esse, ob periculum aequivocationis; 2) hac tamen concessa, *negari posse effatum,* cum praecise asserat id quod in quaestione versatur. Nam nisi a priori asseratur (quod certe multis est

(1) Denz-Bann. 1697.
(2) Hammerst., De Eccl. et Statu, p. 75.

instar primi cuiusdam principii!) Ecclesiam Statui subiectam esse debere, nulla ratio dari potest cur aliqua societas perfecta in alia esse non possit. Et *duae* quidem *societates civiles* quae idem territorium eosdemque socios haberent, una cum altera confunderentur. At duae *societates, ordinis* et *finis* prorsus *diversi,* non se excludunt; sicut enim homines seorsim sumpti varios fines prosequi possunt, sic ad hos diversos fines consequendos iungi et uniri invicem possunt. Unum tantum exigitur, ne scilicet fines se excludant.

At inde conflictus sunt timendi! Hoc non negatur: quotiescumque duo coetus communia membra habebunt, varia iura variasque obligationes haec membra sortientur, unde oppositiones et conflictus oriri poterunt. Quid inde? an ordo rerum postulet ut una supprimatur societas? Sed tunc potius supprimi deberet societas civilis, utpote finis et ordinis inferioris. Minime tamen requiritur haec suppressio: sufficit ut aliqua subordinatio existat inter utramque societatem, qua possint conflictus facilius vitari aut saltem efficacius componi, et ita quidem factum esse constat, ex suavi divinae Providentiae dispositione, per subordinationem finium et proinde etiam societatum inter se (1).

Sic ergo distingui potest effatum illud: *Status in Statu repugnat.* Repugnat Status, i. e. societas civilis perfecta, in altera societate civili quae eisdem membris constet, *Conc.;* repugnat Status, i. e. quaevis societas perfecta, in alia societate perfecta, *Subdist.:* si sint eiusdem speciei, *Conc.;* si diversae, iterum *Subd.:* si fines utriusque invicem contrariantur, *Conc.;* secus *Neg.,* dummodo tamen aliqua subordinatio inter fines habeatur (2).

(1) Cf. Hammerst. p. 75.

(2) Cf. Hergenröther-Hollweck, Lehrbuch des K. Kirchenrechts, n. 55, ubi optime solvit hanc obiectionem, ostendens: 1) Ecclesiam non esse in Statu, at tantum personas et instituta ecclesiastica ibi esse, ita tamen ut ob specialem characterem suum a Statu non dependeant; 2) Ecclesiam extensione sua multo latius patere quam Status. « Ecclesia populos et Status ad christianam religionem vocavit eosque conversos in sinu suo accepit. Unde etiam dici posset: Status sunt in Ecclesia *ut receptum in recipiente;* vocati

II. Obiectio. — Societas perfecta habere debet territorium; atqui Ecclesia non habet territorium; ergo, non est societas perfecta.

Ibi adhuc latet aequivocatio in verbo illo: *territorium. Territorium habere* significare potest: vel 1) habere *dominium,* et *possessionem, occupationem quasi physicam* alicuius regionis; vel 2) *iura sua exercere* in aliqua orbis terrarum parte ibique *subiectos habere.* « Ius territoriale », ait Liberatore, « intelligi potest de *dominio regionis* quae territorium constituit, vel de *gubernatione personarum* quarum est regio ista; in primo casu *proprietatem* constituit, in altero *iurisdictionem,* quae et ipsa spectari potest relate ad gubernium *politicum* vel ad gubernium *religiosum* » (1). Si *territorium habere* intelligitur secundo sensu, i. e. iura exercere posse alicubi, falsum est Ecclesiam territorium non habere, nam ex ipso divini sui fundatoris oraculo, Ecclesia pro territorio habet totum orbem, cum Apostolis dictum sit: « Euntes ergo docete omnes gentes » (Matt. XXVIII, 19.); et S. Bernardus Eugenium Papam sic alloquebatur: « Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam » (2).

Quatenus *territorium habere* significat *physice detinere, occupare,* quin et *dominium* alicuius regionis habere, certe pertinet ad societatem civilem *ita* regionem possidere, in qua debet ordinem et pacem publicam procurare, *ut* nulla alia societas civilis ibidem *hoc modo* se sistere possit, quamvis non repugnet aliam societatem civilem quaedam iura in personas ibi degentes obtinere. Cum autem Ecclesiae finis in ordine materiali et temporali non contineatur, nil simile huic occupationi et detentioni physicae sibi vindicat; hoc ergo sensu territorium non habet.

recipiuntur a vocante, *ut pars in toto;* Ecclesia Statibus constat ut Status familiis. Habet Status quilibet limites suos, Ecclesia est regnum Christi universale: ipsius est universa terra *ut medium in fine;* terrestris vita est alterius vitae praeparatio et gradus, Ecclesiae finis et bonum est pro bono Status instar regulae ».

(1) Dirit. pub. eccles. n. 158.

(2) De consideratione, l. III, c. 1.

Sed praecise negandum est omnem societatem perfectam, et in specie Ecclesiam, territorium sic intellectum habere debere. An ratione *finis* habere deberet? At finis Ecclesiae est in ordine supernaturali, non est felicitas temporalis per pacem, ordinem publicum procuranda. An ratione *necessariae independentiae?* At ab initio declaravimus societatem perfectam *iure* quidem, non necessario *actu,* mediis ad finem necessariis gaudere debere. Ad hoc autem sufficit ut, iuxta ordinem a Deo constitutum, ius habeat libertatem suam vindicandi, eamque et alia sibi necessaria exigendi a potestate civili quae physice territorium detinet.

Unde *effatum secundum* in forma sic *distinguere* licebit. Societas perfecta habere debet territorium, *Dist.:* territorium, i. e. *locum* ubi *sua iura exercere, subiectos habere possit, Conc.;* territorium, i. e. *aliquam physicam detentionem, occupationem,* necnon *dominium* regionis, *Subdist.: societas perfecta civilis* debet hoc habere, *Conc.*; *omnis societas perfecta, Nego.* Et minore argumenti eodem modo distincta, negatur consequens et consequentia.

N. B. — Alia obiectio contra Ecclesiam moveri solet, ex eo quod non habeat *iura maiestatica,* praesertim vero *ius gladii.* De hoc erit sermo infra; sufficiat nunc responsionem praeoccupare hac facili distinctione. Iura maiestatica, quae *cuilibet* societati perfectae attribuenda sunt, habet Ecclesia; quae vero *alicui* societati perfectae: si eis indiget, ea habet; secus potest ea non habere, quin ullo modo cesset esse perfecta. Et ita esse de iure gladii, saltem valde probabiliter, cum multis auctoribus asseri potest.

III. Potestates Ecclesiae in specie.

Sufficere posset demonstrasse quod Ecclesia sit *societas perfecta* ut statim concluderetur: ergo habet potestatem *legiferam, administrativam, iudicialem, coercitivam;* praestat tamen unamquamque potestatem *directe* probare, quo clarius *certitudo* assertionis, immo et *nota theologica* ipsi danda osten-

di, accuratius *practicae applicationes* et *extensio* uniuscuiusque potestatis determinari, tandem efficacius dissolvi *obiectiones* possint.

A. Ecclesiae competit potestas legifera.

Potestas *legifera* necessaria est Ecclesiae ad suum finem consequendum, nam « pro humani intellectus diversitate et voluntatis inconstantia indomitoque cupiditatum aestu, in qualibet agentium multitudine, necessaria est *aliqua potestas* quae habeat ius *designandi media,* atque omnes ad eadem adhibenda *obligandi:* qua in re potestas legifera consistit » (1).

At hic praesertim intendimus argumenta afferre vel saltem innuere quibus *directe* probatur haec potestas Ecclesiae.

I. Ex S. Scriptura scimus Christum Dominum verum regnum spirituale et supernaturale fundasse, quod perfecte gubernari nequit nisi legibus. Insuper Christus Apostolis transmisit auctoritatem quam ipse a Patre acceperat (2), quae certe etiam ad leges ferendas extendebatur (3).

Immo adhuc magis directe vindicatur haec Ecclesiae facultas ex potestate clavium, et munere oves pascendi dato Petro (Matt. XVI, 19; Ioann. XXI, 15-17), necnon ex ligandi et solvendi potestate sive Petro, sive ceteris Apostolis concessa (Matt. XVI, 19; XVIII, 18). *a*) *Claves tradere,* ex usu loquendi etiam profano, at certe *scripturistico,* significat plenam concedere potestatem in ea quae clavibus obserantur (domus, civitas), significat ergo plenam potestatem dare in illos qui ad regnum coelorum pervenire debent: talis autem in homines liberos per leges et decreta primario et principaliter exercetur.

b) Cura *pascendi oves* supponit potestatem eas *auctoritative* ducendi et a periculis removendi: oves autem *ratio-*

(1) Bargilliat, t. I, n. 54.
(2) Ioann. XX, 21.
(3) Wernz, t. I, n. 90. Liberat. Diritto pub. eccles. n. 109.

nales modo proportionato regendae sunt, i. e. eis modo obligatorio pascua proponendo easque a periculis removendo, per obligationem scilicet quae intellectum et voluntatem attingat, seu per leges.

c) *Ligare* et *solvere* sumi debent sensu *morali,* pro potestate aliquod vinculum morale imponendi, seu obligationem moralem aliquid faciendi aut vitandi, quod praecipue fit veras et proprias leges condendo (1).

II. Confirmatur legifera Ecclesiae potestas *per convictionem* et *praxim Apostolorum* qui, in re gravissima, nec de ambitu suae potestatis errare nec ea abuti potuerunt. Iam eos vidimus legem divinam interpretantes veramque legem moralem statuentes in Concilio Hierosolymitano (Act. XV, 21 sq.). Neque alia desunt exempla quibus Apostoli potestatem legiferam exercuerunt, v. g. decernendo de bigamis non ordinandis, de neophytis non promovendis (I Tim. III., 2, 6) (2). Et hic fuit *perpetuus Ecclesiae mos* leges et decreta ferendi, sive in Conciliis, sive extra Concilia per R. Pontificem aut Episcopos. Nil aliud est Ius Canonicum nisi collectio quaedam harum legum et decretorum RR. Pontificum vel Conciliorum.

III. Accedunt *declarationes magisterii ecclesiastici.* Iam Tridentinum (ses. VII, can. 8) *definivit* obligationem legibus Ecclesiae parendi: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint: A. S. » (3). — Et in Concilio Vaticano definitum est, R. Pontificem habere « plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent... » (4). Quae potestas *iuris-*

(1) Bargill. n. 54.
(2) Cf. Wernz, I, n. 90.
(3) Denz.-Bann. n. 864.
(4) Ib. 1831.

dictionis certissime comprehendit *legiferam*, et declaratur ita independens a gubernio civili ut istud eius acta impedire nequeat, nec sancire debeat ut valeant (1).

Unde concludi debet esse de *fide catholica* ex Vaticano, competere *R. Pontifici* potestatem *legiferam independentem* a guberniis civilibus. Quoad *alios magistratus* ecclesiasticos, praesertim vero *Episcopos*, haec potestas dici debet *certa theologice*, utpote S. Scripturae innixa et perenni Ecclesiae praxi comprobata (2).

Quae potestas Ecclesiae leges condendi a Principibus saepissime aperte est agnita. Iuvabit verba adducere Imperatoris Iustiniani, ex praefatione Novellae 137 desumpta: « Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa ss. Canonum et divinarum legum custodiam, quae super salute nostrarum animarum definitae sunt? » Et in Nov. 131, c. 1: « Quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus et regulas sicut leges observamus » (3). Quod si Imperator, ex sincero zelo observationem legum Ecclesiae promovendi, nimiam ingerentiam in his quaestionibus sibi attribuerit, clare tamen et aperte agnoscit et reveretur Ecclesiae legiferam potestatem.

Independentia huius potestatis, definita in ~~Tridentino~~ *pro R. Pontifice*, constat *pro Ecclesia in genere* ex verbis Christi et Apostolorum et praxi Ecclesiae quae nullo modo licentiam potestatis civilis requirunt. Conferantur etiam quae de potestate legifera in Praenot. dicta sunt (p. ~~29~~).

Extensio huius potestatis. — Diiudicanda erit extensio potestatis legiferae Ecclesiae ex *natura* et *fine* eius. Est quidem natura sua societas supernaturalis, cuius finis est homines ducere ad vitam aeternam. Sicut quaevis alia societas perfecta, Ecclesia *directe* et *immediate* respicit *bonum publi-*

(1) Denz.-Bann. 1829.
(2) Cf. Wernz, II, n. 3, II.
(3) Cf. Card. Soglia Instit. Iuris publici et priv. l. I, c. 1, § 5.

cum, i. e. bonum commune fidelium, in quantum sunt membra societatis ecclesiasticae, at pro sua speciali indole, etiam *directe* et *immediate* respicit *bonum singulorum fidelium* quos ad vitam aeternam ducere debet. Leges ecclesiasticae quae potius ad cives spectant ut membra Societatis, dicuntur leges *disciplinares;* quae vero potius eos tangunt in ordine ad bonum proprium, leges *morales;* inter leges disciplinares numerandae sunt quae ad relationes inter varios gradus hierarchiae ecclesiasticae sive inter se sive cum fidelibus spectant, ad administrationem dioeceseon, etc.; leges morales vel fidem spectabunt vel bonos mores.

Suis legibus Ecclesia modo *interpretatur* et clarius explicat *legem naturalem* aut *positivam divinam,* modo *obligationes novas statuit* quibus magis explicite determinat et ad praxim applicat quae ex lege naturali vel divina profluunt aut in his indeterminate continentur. « A lege naturali », ait S. Thomas, « dupliciter potest aliquid *derivari:* uno modo sicut *conclusiones ex principiis;* alio modo sicut *determinationes* quaedam *aliquorum communium* » (1). Sic Ecclesia, praeter *interpretationes* legis naturalis et divinae, *conclusiones* etiam ex his derivat et praecipit, *sanctioneque* legali munit; eas quoque *determinat,* ubi generalia tantum praecipiunt: ita potuit olim idololatriam, homicidium, fornicationem poenitentia publica *punire;* potuit etiam legem divinam quae poenitentiam praescribit, per obligationem ieiunii, abstinentiae *determinare.*

Et haec Ecclesiae potestas ex eius *fine* ad haec extendi debuit: lege enim naturali et lege positiva divina homo ad vitam aeternam ducitur, hae vero non semper ita clarae sunt quoad omnes conclusiones nec ita ad singula determinatae; debuit ergo Deus societatem, cuius est homines ad salutem ducere, potestate instruere eas authentice interpretandi et explicitius determinandi sive in rebus *fidei,* sive in his quae ad *disciplinam vitae* et *bonos mores* pertinent. Omnes fideles et his interpretationibus et his determinationibus ligantur (2).

(1) 1a, 2ae, q. 95, a. 2.

(2) Bellarm., de R. Pontif. l. IV, c. 16.

x Patet hic sensum « legis moralis » ~~paulato~~ differre a sensu quem communiter habet apud ~~auctores~~ Moralistas. Cf. supra p. 28.

Limitatur autem potestas Ecclesiae per suum *finem*. Ex dictis de potestate societatis perfectae, haec non extenditur ad ea quae extra finem sunt, i. e. quae necessaria non sunt ad finem totaliter obtinendum: sic Ecclesia nequit leges disciplinares vel morales ferre quarum scopus esset *temporale bonum* procurare v. g. determinando modum administrandi talem regionem vel taxas imponendi; potest tamen, immo et debet subditos monere eorum obligationum in ordine ad tales leges observandas, quando iustae sunt et a legitima auctoritate conditae.

N. B. — Contra potestatem legiferam simul ac contra administrativam Ecclesiae invocatum est ius quod « Placitum regium » audit. Refelletur hoc praetensum ius simul cum aliis infra (IV, B, huius quaest. I).

B. Potestas administrativa Ecclesiae.

Tam arcte connectitur potestas administrativa cum legifera ut vix opus sit demonstrare eam Ecclesiae competere. Nam huius potestatis munus est urgere et promovere exsecutionem legum in casibus non controversis (1). Iamvero omnino *incompleta* et *manca* maneret potestas Ecclesiae legifera si potestate administrativa destitueretur, et quidem independente a societate civili. Ad quid enim leges ferret, si earum executionem urgere non posset? Quid autem magis absurdum esset quam eam independentem in legum *conditione* declarare, dependentem vero a potestate civili in legum *executione*?

Ceterum Ecclesia sive *praxi* sive *declarationibus* suis, jus administrationis independentis et liberae sibi vindicavit. Semper reprobavit illud praetensum ius Placiti regii, quod directe potestati administrativae non minus ac legiferae opponitur (2).

(1) Cf. supra, p. 30.
(2) Infra (IV, B). Cf. prop. 41 Syllabi.

In specie iura sua vindicavit quoad varios suae administrationis actus, contra iniustas potestatis civilis praetentiones. Sic omnino respuit praetensum ius Status *praesentandi* Episcopos eosve *deponendi* (prop. 50-51 in Syllabo), sese immiscendi in ea quae ad *vitam religiosam* pertinent (prop. 33-34); asseruit ius Ecclesiae *acquirendi* et *possidendi bona temporalia* (prop. 26) necnon et ea libere *administrandi.*

Quod si aliquando Ecclesia per Concordata quaedam privilegia Principibus aut guberniis concedit relate ad praesentationem Episcoporum, etc., nullo modo inde ius proprium et nativum Status ad tales potestates exercendas, sed benevola Ecclesiae concessio agnoscenda est.

C. Potestas iudicialis Ecclesiae.

Necessitas talis potestatis pro societate perfecta qualibet evidenter patet (1).

I. Ex S. Scriptura directe probatur talis potestas Ecclesiae competere. Si enim ex verbis Christi: « Quaecumque solveritis super terram... etc. ». (Matt. XVIII. 18), recte infertur potestas *iurisdictionis* in qua etiam continetur *legifera*, a fortiori inde et *iudiciaria* potestas existere concluditur: iudicia enim magis directe actiones individuas hominum attingunt, *ligant* vel *solvunt.*

In eodem textu Christus varios conatus enumerans quibus tentanda est delinquentis emendatio, clare omnino talem potestatem iudicandi Ecclesiae attribuit. Reprehendatur delinquens primo sine testibus, postea coram uno vel duobus. « Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». Cuinam denuntiatur reus? nonne iudici? Quis autem contumax habetur, nisi qui sententiam obligatoriam contemnit? *Consonat praxis Apostolorum.* Paulus iudicat et damnat Corinthium incestuosum, (I Cor. V), et ex verbis adiectis asserit, per

(1) Cf. supra p. 31; Bargill. n. 1417.

modum oppositionis, suam potestatem in Christianos: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt, iudicare?... Eos qui foris sunt Deus iudicabit » (v. 12, 13). — Praecipit et ipse Timotheo modum sequendum in iudicio presbyteri: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus » (I Tim. V, 19).

II. Confirmatur per constantem *praxim Ecclesiae.* Ius Canonicum magna ex parte ad iudicia spectat.

Adde declarationes *magisterii ecclesiastici.* Tridentinum anathema dicit ei qui ausus fuerit declarare « causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos » (1). « Revera Iesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate » (2).

Independentia potestatis iudicialis ecclesiasticae, non solum patet ex dictis pro societate perfecta in genere (3), sed insuper ex eo quod nec verba Christi, nec praxis Ecclesiae ullum recursum ad potestatem civilem contra iudicia ecclesiastica vel leviter innuant. Immo Pius VI authentice interpretans canonem tridentinum supra citatum (i. e. 12 sess. 24) declarabat causas matrimoniales ad *solos* iudices ecclesiasticos spectare (4). Pius IX in Syllabo condemnavit propos. 41: « Eidem (auctoritati civili) competit nedum ius quod vocant *exsequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu* ». Quae independentia clarior evadet ex dicendis contra praetensum hoc ius.

Extensio potestatis iudicialis eadem est quae potestati legiferae est vindicata, i. e. ad auctoritative decernendum de applicatione et observatione legum disciplinarium et moralium quae suam constitutionem et bonum spirituale fidelium spectant, legum fidei et morum, de credendis et agen-

(1) Sess. 24, can. 12. Denz.-Bannw. n. 982.
(2) Leo XIII, Encycl. « Immortale Dei » § Tam ingens.
(3) Supra p. 32.
(4) Litt. 16 Sept. 1788.

dis, quibus applicatur et determinatur lex naturalis vel positiva divina (1).

N. B. — Refelletur ex proposito praetensum ius *appellationis ab abusu* infra (IV, C. huius quaestionis I).

Scholion. Conspectus historicus de exercitio potestatis iudicialis Ecclesiae. — Non abs re erit breviter ostendere *quo modo* et *qua amplitudine* per varias historiae suae epochas, potestatem iudicialem exercuerit Ecclesia, ex qua expositione melius etiam apparebit quid ut ius *proprium* et *inalienabile* semper sibi vindicaverit, quid ex *consuetudine* et *iure historico* vel ex *concessione Principum* ipsi accesserit. Claritatis causa dividi poterit haec historica expositio in quatuor periodos, quarum prima ad tria priora saecula restringetur, secunda complectetur tempus dominationis Imperatorum christianorum, tertia praesertim Medium Aevum, quarta tandem tempora moderna.

I. — **Primis tribus saeculis**, dominantibus Ethnicis, fideles prohibebantur ab Ecclesia suas lites ad iudices infideles deferre, iuxta normam ab Apostolo traditam (I Cor. VI). « Sapiens » ille, qui iuxta Paulum eos iudicare debebat, procul dubio fuit Episcopus vel ab eo designatus. « Concedere quidem debemus, Episcopos formidolosis illis temporibus, ambages et solemnitates saecularium iudiciorum non observasse, immo multoties in hisce negotiis caritatem potius quam iurisdictionem explicasse,... sed manifestis testimoniis evincitur, ipsos vera iudicia, licet summaria tantum, exercuisse, vel saltem, quoties opus fuit, suo iure exercere potuisse » (2).

II. — **Imperio ad Imperatores christianos delato**, debuit rerum mere civilium cognitio ad iudices saeculares devenire, hoc tamen nec *statim* nec *absolute* factum est.

a) *Omnes causae spirituales* iudicio Ecclesiae reservatae sunt; quod, ut inconcussum principium, ab ipsis Imperato-

(1) Liberat. Diritto pubb. eccles. n. 130 sq.

(2) Aichner, Comp. Iuris eccl. § 213 Cf. Devoti, Instit. Canon. l. III, tit. 1 § 13 sq.

ribus agnitum est: « Has... actiones, *siquidem ad ecclesiastica negotia pertinent*, *necesse* fore iubemus, ut a solis religiosissimis Episcopis, aut Metropolitanis, aut a ss. Synodis, aut a Sm̃is Patriarchis cognoscantur » (1).

b) *Forum privilegiatum clericorum,* in tota sua amplitudine, quatenus etiam *causae* ipsorum mere *civiles* vel *delicta iuris communis* complectitur, non statim ab initio agnovit Ius Civile. At *practice* omnes eorum causae apud sola tribunalia ecclesiastica agitatae sunt. Permiserat enim Constantinus M., duabus Constitutionibus, a. 321 et 331 (333) publicatis (2), ut litigantes, etiam laici, ad Episcopos suas causas deferre possent; qui competentes ad iudicandum fiebant, etiam altera parte dissentiente. Ecclesia vero, pro sua in clericos potestate, severe prohibuit ne suas lites ad iudices laicales deferrent, praescribens ut eas ad Episcopos vel Synodos provinciales portarent (3). Quod varii RR. Pontifices suis etiam Decretalibus confirmaverunt, quarum plures refert Gratianus in C. XI, q. 1. (4). Hoc tandem ius *exclusivum* Ecclesiae agnovit Iustinianus in pluribus Novellis (79, 83, 123 praes. c. 21).

c) Sed et adlaboraverunt Concilia et Pontifices ut etiam controversiae inter laicos et clericos tribunalibus ecclesiasticis reservarentur. Quod ius a Constantino M. non explicite datum, serius ab Honorio (a. 412) est agnitum: « Clericos nonnisi apud Episcopos accusari convenit... (siquidem aliter non oportet)... » (5). Quae permissio non parum a successoribus Honorii restricta, iterum a Iustiniano concessa est, ita tamen ut utriusque litigantis consensus requireretur ut res apud tribunal Episcopi iudicari posset: « Si vero civilium rerum controversia sit, volentes quaestionem apud Antistites instituere, patiemur, invitos tamen non cogemus: cum

(1) L. 29 § 4, Cod. De episcopali audientia (I. 4).
(2) Cf. c. 35, 36. C. XI, q. 1.
(3) Cf. inter alia Conc. Chalced. (a. 451) can. 9. (Kirch, Enchir. n. 866).
(4) C. 12, 13 (Gelasii). C. 38–40 (S. Greg. M.) etc.
(5) L. 41, Cod. Theodos. De Episcopis (XVI, 2).

iudicia civilia sint, si ea adire malint, apud quae licet etiam de criminibus cognoscere » (1).

d) *Laicis* vero *contendentibus* eadem fere ac clericis concessa fuit facultas suas causas ad tribunal ecclesiasticum deferendi, etiam altera parte reluctante (sic Constantinus M.), serius restricta hac facultate ad casus quibus alter litigans consentiret (ita Arcadius a. 398 et Honorius a. 408, quarum Constitutiones Iustinianus in suo Codice admisit) (2).

III. — **Apud populos Germanicos**, fidei conversos, *a*) admissa semper et firmiter vindicata exclusiva Ecclesiae potestate in causas spirituales, *b*) constanter conata sunt Concilia particularia clericorum exemptionem a foro saeculari obtinere: aliqua tamen Concilia permittebant ut, in foro laicali vocati, illud adirent, saltem consentiente Episcopo. At saec. VIII et IX Ecclesia tandem obtinuit ut forum privilegiatum clericorum omnino admitteretur, quod Carolus M. a. 789 in Capitulari 38 sanxit et Fridericus II, Const. authent. « Statuimus » ad L. 33 Cod. De Episcopis etc. (I, 3) sic iterum decrevit: « Statuimus u/ nullus Ecclesiasticam personam, in criminali quaestione vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumat, contra Constitutiones Imperiales et canonicas sanctiones » (3).

Nil mirum inde quod in Decret. Gregor. IX comprobata inveniatur regula quam iam in can. 14 Conc. Later. III (a. 1179) definiverat Alex. III. « Sane quia laici quidam ecclesiasticas personas et etiam ipsos Episcopos iudicio suo stare compellunt, eos, qui de cetero id praesumpserint, a communione fidelium decernimus segregandos ». Illi reservationi causarum clericorum vix ullae habebantur exceptiones, praeter causas feudales. Intactum tamen manebat principium quod clericus laico litem intentans, ipsum ad tribunal laicale vocare debebat, iuxta notam regulam: « Actor sequitur forum rei ».

(1) L. 29. § 4, Cod. (I. 4).
(2) L. 7, 8, Cod. De epis. aud. (I. 4).
(3) Cf. Wernz, De iudiciis, p. 242.

c) Populi *Francorum* forum Ecclesiae initio non agnoverunt ut *forum voluntarium* et *permissum* pro laicis inter se contendentibus. Paulatim autem eadem circa hanc rem disciplina quae in imperio Romano viguerat, etiam inter Germanos pleno valore constare coepit, immo et ulterius protensa est. At probe observari debet, Ecclesiam nunquam sibi tunc temporis vindicasse iurisdictionem in laicos ut *ius* quoddam *proprium*, cum e contra aperte contrarium declaraverint RR. Pontifices, ut Innoc. III haud semel fecit (1), sed vel ex *consuetudine* et *iure historico*, vel quasi quodam *iure devolutivo*. « Talis iurisdictionis ecclesiasticae progressus, ut de aliis rationibus taceam, praesertim in intima utriusque reipublicae compenetratione, inordinata iudiciorum saecularium conditione et legitima consuetudine fundamentum habuit » (2).

Ecclesia enim pro bono et necessitate populi christiani, causas quas iudices civiles aut negabant aut nimis protrahebant, ad se vocare vel saltem delatas iudicare potuit; causas etiam ad certas personas pertinentes, quarum semper curam speciali modo ad se spectare consideravit, ob munus a Christo acceptum caritatem promovendi et exercendi, nempe viduarum, pupillorum, orphanorum et aliarum miserabilium personarum (3), ad se deferri ita voluit ut illas invitas ad suum forum trahere iudex saecularis prohiberetur. Quod his rudibus et feris temporibus necessarium fuit ne iniuste vexarentur et omnimodae oppressioni obnoxiae fierent debiles et destitutae personae (4).

Eadem de causa, ob necessitates temporis (ut etiam scriptores quidam Protestantici agnoverunt, veluti Dove et alii), multae causae non mere spirituales, cum spiritualibus tamen aliqua ratione connexae, foro ecclesiastico addictae

(1) Cf. c. Novit 13, De iudic. (II, 1); c. Per venerabilem 13, Qui filii sint legit. (IV, 17).

(2) Aichner § 213.

(3) Vering, Instit. iuris eccles., p. 680.

(4) Cf. cc. 6, 10, 11, 15, De iudic. (II. 1) Ben. XIV, de Syn. dioec l. IX, c. IX, n. 10.

sunt: sic causae matrimoniales de dote, alimentis; pacta iuramento firmata, etc. (1).

IV. Inde a saeculo XIV limites iurisdictionis ecclesiasticae constringi coeperunt. Ex ipsa sua extensione ansam praebuerat reclamationibus et ausibus potestatis saecularis, in Anglia iam saeculo XII (inde dissidia inter Henricum II Regem et S. Thomam a Becket), in Germania et Gallia, praesertim a saec. XIV. Principes non contenti iurisdictionem in *rebus civilibus* ad se revocare, etiam in *causas cum spiritualibus connexas,* immo et in *mere spirituales* manum extenderunt.

a) Ecclesia strenue et constanter *causas mere spirituales* sibi vindicavit. De causis cum spiritualibus connexis, Conc. Tridentinum adhuc plura disposuit, velut de rebus beneficialibus, de executione et mutatione ultimarum voluntatum, visitatione et administratione hospitalium, decimis, bonis Ecclesiae. Non obstantibus his Tridentinis dispositionibus, praesertim saec. XVIII et XIX, fere omnes illae causae iurisdictioni ecclesiasticae subtractae sunt. Iniustam illam intrusionem « ad evitanda maiora mala » Ecclesia aliquando patienter ferre debuit; aliquando « summi Pontifices consultius duxere id ipsum privilegio Principibus concedere, quod propria auctoritate iampridem sibi usurpaverant » (2).

b) *Forum privilegiatum clericorum* paulatim arctioribus limitibus est circumscriptum « donec tandem nostro saeculo quoad causas mere civiles et delicta communia, si paucas excipias regiones, partim expressa concessione Sedis Apost., partim tacita quadam tolerantia, fuerit maxima ex parte sublatum. Attamen genuina principia etiam nostro saeculo strenue et constanter ab Ecclesia sunt asserta. Id quod patet ex declarationibus Emi Card. Consalvi, ex mandato Pii VII datis, atque ex prop. 31 Syllabi et Pii IX Constit. « Apostolicae Sedis » n. 7, inter censuras speciali modo R. Pontifici reservatas » (3).

(1) Cf. Wernz, De iudic. p. 230.
(2) Ben. XIV, De Syn. dioec, l. IX, c. IX, n. 11.
(3) Wernz, De iudic. p. 243. Cf. Supplem. Iuris eccl. priv. p. 73.

c) Quaestiones vero *inter laicales personas* disputatas de *rebus saecularibus*, Ecclesia amplius ad se non trahit. Certe iniusta fuit potestatis ecclesiasticae restrictio, ubi iura quaedam obtinuerat non « ex liberali concessione Principis ad instar privilegii, iuris precarii vel facultatis iisdem limitibus circumscriptae atque in aliis iudicibus saecularibus » sed ex consuetudine legitime praescripta vel ex concessione Status « per modum verae alienationis et stricti pacti » (1); attamen potestas civilis nunc exercens iudicium in causis mere saecularibus, olim Ecclesiae reservatis, dici debet ex *proprio iure*, non ex *delegatione* ecclesiastica agere, id quod aliquo sensu dici potest ubi in causis cum spiritualibus connexis iudicare permittitur (2).

D. Potestas coactiva Ecclesiae.

(*Cavagnis, Instit. Iuris publ. eccl. t. I, c. II, a. VI; Liberatore, Diritto pub. eccl. n. 138 sq.; Bargilliat, t. II, n. 1584 sq.; Hollweck, Die Kirchlichen Strafgesetze; Stremler, Traité des peines ecclésiastiques; Choupin, Valeur des décisions... du S. Siège, P. V, prop. 24. du Syllabus*).

Si utile fuit *directe* probare ceteras Ecclesiae potestates, maioris adhuc momenti est demonstrare quomodo penes eam sit potestas *coactiva*, quae non tantum ad poenas *spirituales* sed etiam ad *temporales* extendatur: contra hanc enim potestatem praecipui diriguntur adversariorum conatus. Iam saec. V *Donatistae* negaverunt ius poenas temporales infligendi existere sive penes Ecclesiam, sive etiam penes societatem civilem in tuitionem legum ecclesiasticarum. *Marsilius Patavinus* negavit ius coactionis competere Ecclesiae absque venia Imperatoris (quam negationem, ut plures putant, de solis poenis temporalibus intelligebat). Medio Aevo, *Albigenses, Waldenses*; serius vero *Legistae* cum Richerio,

(1) Wernz, ib. 227-28.

(2) Cf. Santi, Praelect. Iuris canon. l. III, tit. 2, n. 30; Wernz, l. c.

Iansenistae, Febroniani potestatem coercitivam Ecclesiae (saltem absque potestatis civilis venia) denegarunt.

Quanto magis eam detrectant *Positivistae* et *Pseudo-historici* moderni, qui omnia iura ab illa sola potestate derivari contendunt, quae vim physicam exercere potens est, i. e. a Statu. Immo, ex eo praecise quod Ecclesia potestatem coactivam non habeat, ulterius procedentes characterem societatis perfectae ab ea tollunt; nec illogice: nam si Ecclesia *iure* saltem (non necessario *actu*) potestatem coercitivam non haberet, vanae evaderent ceterae eius potestates, et merito ipsae quoque negari possent (1).

Inter ipsos Catholicos non defuerunt qui potestatem coercitivam Ecclesiae plus minusve imminuentes, eam ad solas poenas spirituales restringere non dubitarent: sic Bolgeni, Vacandard, Turmel, Laberthonnière (2).

Contra hos omnes asseritur potestas Ecclesiae coercitiva, quae *de fide* dici debet saltem quoad poenas spirituales, *theologice certa* quoad poenas etiam temporales (3).

Probatur remissive ex dictis de societate perfecta. — Ecclesia, ut est societas perfecta, habet ius leges ferendi et iudicandi, at « potestas iudiciaria, ut sit *efficax,* comitem habere debet *vim coactivam,* qua debitis poenis plectantur et coerceantur omnes illi qui malitiosi sunt vel contumaces, ut media proposita per leges rite adhibeant, sententiis iudicum obtemperent, nec possint societatis finem aut mediorum oeconomiam quoad alios impedire » (4).

Haec potestas etiam ad poenas *corporales* extenditur quae efficacissimae sunt ad corrigendos male agentes, ad deterrendum ceteros a male agendo per timorem, et ad restituendum ordinem laesum (5).

(1) Cf. supra, ubi de adversariis, p. 53.

(2) Cf. Vacandard, Etudes de critique et d'histoire religieuse; deuxième série: 1910; L'Ami du clergé, 31 Janv. 1907; Choupin, Le pouvoir coërcitif de l'Eglise, Extrait de la Nouv. Revue Theol. 1908. et ibid. 1910, p. 71 sq.

(3) Wernz, Ius Decret. II, n. 3. II.

(4) Bargill. n. 1548.

(5) Liber, n. 145.

Sed haec etiam ad Ecclesiam applicantur quae ipsa debet « sufficienti potestate pollere ad efficaciter coercendos contumaces, praesertim haereticos; atqui poenae spirituales parum movere solent homines carnales, quia, licet revera graviores sint, earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur, isti autem (vulgares) homines maxime sensu ducuntur et aguntur. Et hoc praecipue locum habet respectu haereticorum, qui, cum fidem abiecerint, quasi nihil reputant huiusmodi poenas » (1). Merito etiam qui legem Ecclesiae violavit ut iniuste bonum sensibile quaereret, ut plurimum fit, punitur per poenam sensibilem vel boni sensibilis subtractionem.

Probationes directae. — *A. Probatur potestas coercitiva in genere.* Argumenta *scripturistica* proponit ipse Ioan. XXII in Constitutione qua Marsilium condemnavit. Ex verbis quibus Christus, sive Apostolis simul sive Petro specialiter *universalem potestatem ligandi* et *solvendi tradidit* (2), clare eruitur potestas coactiva. *Ligantur* non solum *voluntarii* sed etiam *inviti. Contumaces* autem ad obedientiam non inflectuntur nisi ex castigationis formidine. *Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine poenae.* Accipiens ergo Ecclesia potestatem omnes suos subditos ligandi, simul accepit potestatem leges etiam poenales condendi et proinde easdem exequendi: absurdum enim esset facultatem admittere poenam statuendi, negato iure eam infligendi.

Ex verbis etiam quibus dicitur a Christo: « *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* » (3) constat, iuxta Ioa. XXII, « quod Ecclesia, per potestatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest, quae quidem potestas est utique coactiva » (4).

Praxis et verba Pauli et Apostolorum eamdem potestatem manifestant. Ait enim de se Paulus: « In promptu habentes

(1) Bargill. n. 1549.
(2) Matt. XVI, 19; XVIII, 18.
(3) Matt. XVIII, 17.
(4) Const. « Licet iuxta doctrinam », 23 Oct. 1327. Cf. Liber. n. 145.

ulcisci omnem inobedientiam ». (1) Corinthios interrogat: « Quid vultis? in virga ad vos veniam an in caritate et spiritu mansuetudinis? » (2) Tradit Satanae incestuosum Corinthium, Hymenaeum et Alexandrum.

Consonat *praxis constans Ecclesiae* infligendi poenas spirituales et temporales, quae constans et universalis praxis argui nequit vel erroris vel abusus.

Accedunt tandem *declarationes magisterii ecclesiastici.* Iam Ioannes XXII, ut *haereticam* damnabat propositionem Marsilii Patavini: « Quod tota Ecclesia simul iuncta, nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc Imperator » (3). Ad quam condemnationem alludebat Pius VI, quando ab ipso notabatur propositio Pistoriensium, asserens abusum esse auctoritatis ecclesiasticae « exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis .... quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem.... devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi: — inducens in systema alias damnatum ut haereticum » (4).

Tandem Leo XIII asseruit Christum dedisse Apostolis « iudicandi puniendique » (5) facultatem.

B. Probatur potestas Ecclesiae infligendi poenas corporales. Praeter damnationem propos. 5 Marsilii qui, ut videtur, quoad solas poenas temporales Ecclesiae potestatem denegabat, habemus locum Tridentini (ses. 25, c. 3 De ref.) ubi statuitur poenas temporales, v. g. mulctam pecuniariam, ante extremum excommunicationis remedium adhibendas esse. Inde quidem non eruitur aliqua fidei definitio, sed merito repeti potest interpretatio canonis 14 ses. VII, per quem anathemate plectuntur qui dicerent baptizatos in infantia, si, post adeptam aetatem adultam, noluerint amplius promissis baptismi stare « suo arbitrio esse relinquendos, nec

(1) II Cor, X, 6.
(2) I Cor, IV, 21.
(3) Denz-Bann, n. 499.
(4) Prop. 5 Syn. Pistor. Denz-Bann. n. 1505.
(5) Encycl. Immort. Dei Cf. supra p. 76.

alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant » (1).

Quando autem in Encycl. « Quanta cura » condemnatur: « Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi », si non est definitio ex cathedra, quod tamen multi existimant, saltem est solemnis declaratio doctrinalis, cui contradicere valde temerarium esset.

Praxis Ecclesiae per multa saecula argumentum etiam praebet summi ponderis, cum in praxi constanti et universali per multa saecula vigente, errorem et abusum irrepere posse merito negetur.

Obiectiones contra poenas ecclesiasticas temporales, I. *Ecclesia, ut est potestas spiritualis, spiritualibus tantum mediis uti debet.*

Resp. Est spiritualis quoad finem suum, *Conc.*, quoad membra sua, *Neg.* (i. e. non est *mere* spiritualis). Homines non sunt puri spiritus, at constant ex anima et corpore, cuius influxum in animam nemo est qui negare possit. Quia *spiritualis*, immo et *supernaturalis* ex parte sui finis est, debet Ecclesia quaedam media spiritualia et supernaturalia habere, per quae disponat et ordinet suos ad hunc finem attingendum; sed quia in *homines* potestatem suam exercet, omnino convenit ut mediis uti possit, eorum naturae proportionatis. Sicut eget ad sui conservationem bonis temporalibus, ita eget poenis temporalibus ad animos indomitos et intractabiles domandos, qui privationem spiritualium bonorum parum vel nullo modo curant, privationibus et poenis sensibilibus efficaciter coercentur.

Unde concludendum: Eget Ecclesia poenis temporalibus, propter hominum naturam, ergo ad ea ius habet.

II. *Obiicitur secundo: Finis Ecclesiae obtineri nequit niis per actus liberos; atqui poenae temporales libertatem tollunt; ergo Ecclesia his uti nequit.*

Duo sunt in antecessum advertenda: 1) Finis Ecclesiae,

(1) Sess. VII, can. 14 De Bapt. Denz.-Bann. n. 870.

etiam immediatus et directus, est quasi duplex: bonum spirituale singulorum fidelium, bonum spirituale totius societatis ecclesiasticae quae corpus efformat cuius caput est Christus Dominus. Unde etiamsi medium aliquod inefficax maneret pro aliquo membro corrigendo, si totius corporis bonum procurat, manet in se bonum et adhiberi potest et debet. Sed insuper 2) is qui asserit poenas temporales libertatem tollere, vix non impingit in errorem Protestantium qui dicebant contritionem imperfectam, ex gehennae et poenarum metu conceptam, hominem hypocritam et magis peccatorem facere, dum e contra est donum Dei quando voluntatem peccandi excludit cum spe veniae (1). Idem dic de temporali poena: sive is qui corripitur inde efficaciter adiuvari potest ad agnoscendam et deflendam culpam, sive ceteri ad bene agendum impelluntur (2).

Unde ad obiectionem sic respondetur. Finis Ecclesiae obtineri nequit nisi per actus liberos, *Dist.: liberos ab intrinseca necessitate, Conc.* (contra prop. 3 Iansenii: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » Denz.-Bann.; n. 1094); *liberos a coactione, Subdist.:* a coactione quae merum actum externum, physicum obtinet, *Conc.*; a coactione qua movetur voluntas ad melius agendum, *Nego.*

III. *Obiectiones ex Patribus mutuatae* videri possunt solutae apud Tarquini, n. 47. Fere semper a textu desumuntur separato a contextu nec raro contra doctrinam aliunde claram eiusdem Patris. Notissimum est quomodo S. Augustinus in Retract. l. II, c. v, suam priorem sententiam, de vi contra Schismaticos non adhibenda, correxerit, inquiens: « Quia nondum expertus eram vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in eos ad melius mutandos conferre posset diligentia disciplinae » (3). Unde poenas

(1) Sess. XIV c. 4. Cf. can. 5. Denz.-Bann. n. 898, 915.
(2) Ballerini, in nota ad n. 18, Theol. Moralis Gury, t. I.
(3) Migne, P. L. t. XXXII, col. 632.

temporales approbavit, at magistratus et officiales ad mansuetudinem et moderationem servandam serio adhortatus est.

Appendix I. De poenis ecclesiasticis temporalibus.

Praxis Ecclesiae. — Si quis inquirat de praxi Ecclesiae in adhibendis poenis praesertim vindicativis, (nam poenae medicinales iam eaedem a primis saeculis viguere quae nunc in usu sunt, saltem excommunicatio et suspensio, serius vero interdictum), breviter responderi potest distinguendo inter poenas *spirituales* et *temporales*.

Poenae spirituales praesertim fuerunt et sunt *irregularitates* (quibus primario interdicitur Ordinum susceptio, secundario susceptorum usus), quando feruntur in poenam delicti; *inhabilitates* ad officia et beneficia ecclesiastica *obtinenda*; *privatio* eorumdem iam *obtentorum*; *depositio* qua clericus *perpetuo* ab exercitio potestatis Ordinis et Iurisdictionis arcetur, retentis privilegiis *fori* et *canonis*, tandem *degradatio* quae depositioni addit horum privilegiorum privationem, manentibus tamen oneribus coelibatus, Breviarii. Quae omnes poenae iam ab antiquissimis Ecclesiae temporibus, sub forma et cum extensione diversa exstiterunt. *Degradatio* ipsa, ut distincta a *depositione*, circa finem soec. XII introducta est, quando potestas civilis, non obstante privilegio fori, in clericos delictorum communium reos animadvertere incepit; tunc Ecclesia, ad cavendum ordinis ecclesiastici dedecus, clericos gravium criminum reos omnibus privilegiis spoliavit et iustitiae saeculari tradi permisit (1).

Poenae corporales, praeter *infamiam*, praesertim fuerunt *carcer*, *exilium*, *mulcta pecuniaria*, *fustigatio*.

a) Pro *infamia* admisit initio Ecclesia quae in Iure Civili determinabantur, ita ut illos qui infames haberentur sive *de facto* sive *de iure* arceret ab Ordinibus et gradibus

(1) Sägmüller, Lehrbuch des kath. Kirchenrechts, § 180 ed. 2, p. 800.

ecclesiasticis, reprobatis illis casibus quos Ius Romanum minus iuste statuerat, v. g. in eos qui secundas nuptias contraxerant. Alios postea casus infamiae iuridicae et ipsa admisit.

b) A primis saeculis Ecclesia *carceres* habuit qui iam a Iustiniano a. 539 commemorantur et *decanica* seu *decaneta* vocabantur; apud populos Germanicos, cum carcer etiam in usu esset, reclusio ut poena ecclesiastica saeculo VI et VII occurrit; clerici praesertim in monasteriis detinebantur, ad communionem laicalem reducti, quod ad decus status clericalis magis conveniens, saepe incommodum non leve praebuit et ipsis Religiosis. Hi vero pro suis castigandis carceres habere debebant. Haec poena toto Medio Aevo viguit, et adhuc post Tridentinum inter ordinarias poenas ecclesiasticas recensetur et applicata est. Nostra aetate fere ad *reclusionem* clericorum in domus *correctionis* vel *monasteria* redacta, nec raro propter leges civiles contra clericos invitos executioni mandari nequit (1).

c) *Exsilium* erat *expulsio* extra *dioecesim* vel regionem aut locum. Rarioris usus fuisse videtur ac ceterae poenae, nec amplius a Tridentino commemoratur. Nunc in praxi manet sub forma mitiori *remotionis* ab officio cum *translatione coacta* ad aliud, sub sanctione poenae spiritualis.

d) *Mulcta pecuniaria* iam a saeculo VII in Ecclesia viguit, praesertim a populis Germanicis desumpta. Tridentinum eam commemorat, additis cautionibus: iudices nil mulctae sibi attribuere, at totum causis piis vel pauperibus dare debent; nec eam infligere possunt nisi in casibus a Iure statutis. Varia S. C. Concilii decreta moderationem in mulctis, sive laicis sive clericis imponendis, commendant. In praxi nunc mulcta laicis fere nunquam infligitur, praesertim ob legum civilium oppositionem quibus, licet invalidis et iniustis ob defectum potestatis in condente, Ecclesia tamen obsistere vix potest; etiam in clericos magna circumspectione et moderatione nunc iure suo utitur (2).

(1) Wernz, De poenis, lithogr. p. 17. Stremler l. c. p. 62.
(2) Cf. Stremler, p. 61 § 3; Wernz, l. c. p. 189, sq.

e) *Fustigatio* (seu *virgarum verbera*) ex usu Romano et etiam Germanico in iudiciis etiam ecclesiasticis ut poena adhibita est, nec ab ea clerici vel monachi immunes exstiterunt. Quae ceterum poena temporibus Medii Aevi, ob feritatem morum conveniens erat; nec taceri debet, in Monachos receptos fuisse pueros et adolescentulos, imo nimis frequenter homines vix a coeno vitiorum ereptos. Haec poena paulatim arctioribus limitibus circumscripta, a Tridentino silentio premitur et a praxi recessit, imo nunc « adeo videtur esse aliena a foro ecclesiastico ut per iudices ordinariorum tribunalium ne infligi quidem possit » (1).

Ceterum de his omnibus poenis, ut aequum feratur iudicium, spectari debent circumstantiae temporis, necnon mores et legislatio civilis regionum. Quibus si Ecclesia sese accommodavit in usu potestatis necessariae et iustae, sapienter egit. Quos autem abusus introducere potuit culpa ministrorum ejus, hi in eam non sunt refundendi. Quot autem mala et scandala nunc proveniant ex eo quod Ecclesia libere suo iure repressionis etiam per poenas corporales uti nequeat, v. g. in clericum indignum qui suum officium relinquere recuset, neminem latere potest, et eius potestatis necessitatem satis superque comprobat.

Appendix II. De iure gladii (2).

Quaestio poni potest « an *Ecclesiae ius sit poenam capitalem* inferendi pro *delicto* mere *ecclesiastico*, ut esset haeresis, blasphemia, sacrilegium. Res non omnino eliquata est; quidam enim doctores affirmant Ecclesiae competere ius gladii, seu inferendi capitalem poenam. Valde maior autem pars negat » (3).

Quae quaestio saepe relinquitur ut vix alicuius practici momenti et salebrosa valde; unde breviter tantum eam

(1) Wernz l. c. p. 184.

(2) Cavagnis t. I. n. 303-305.

(3) Cf. Choupin, Nouvelle Revue Théolog. 1909, p. 449 sq., 532 sq. Vermeersch, Études, t. 126, p. 433. sq.

tractabimus, argumenta utriusque sententiae exponendo, et indicando cur sententiam negantem ut probabiliorem amplectamur.

Argumenta pro iure gladii. — I. Praecipuum argumentum pro *iure gladii* Ecclesiae vindicando, illud est: Ecclesia, ut est societas *perfecta*, omnia habere debet quae ad finem suum consequendum ipsi sunt necessaria; *atqui* inter media societati perfectae necessaria, est etiam ius gladii, *ergo* Ecclesia hoc ius habet.

Sed nimis festina conclusio, nam minor argumenti evidens non est. Non enim constat utrum *omni* societati *perfectae, quia perfecta* est, an *alicui* societati *perfectae*, pro sua *speciali indole*, competat huiumodi potestas. Et Statum quidem infligere posse capitalem poenam vix non est de fide, cum plura S. Scripturae loca hoc clare contineant, totaque traditio concordet. Sic Apostolus ait: « (Princeps) non sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit » (1). At inde nil pro Ecclesia concludi potest. Nam ratione ipsius *finis*, ingens est diversitas inter societatem *civilem* et *ecclesiasticam*. Status, ut finem suum, temporalem felicitatem habet, ordinem socialem etiam vi, terrore tuetur et restaurat, actus externos regit; Ecclesia, libero voluntatis assensu regnum Dei in anima stabilit, hominem praesertim interiorem regit, et multo magis ac Status individuum curat (2); immo, ut saepe diximus, Ecclesia ut finem *directum* et *immediatum etiam* salutem singulorum fidelium intendit.

Unde manet probandum: *omnis* societas perfecta, etiam *spiritualis* et *supernaturalis*, iure gladii gaudet.

II. Illud sic probare intendit Pirhing post Bellarminum: « Quia (Ecclesia) alias non posset rebelles ac inobedientes coercere, et eorum delicta vindicare, neque membra putrida et noxia toti corpori resecare, ut probat Bellarm, l. III, de Laicis, c. 21 et 22 (3).

(1) Rom. XIII, 4.
(2) Cf. Vermeersch, in periodico, Etudes, Février 1911 t. 126, p. 433 sq.
(3) Pirhing, Ius canon. l. V, tit. 7, n. 92. Cf. Bellarm. l. c.

At argumentum allatum rem non evincit. Nam 1) clarum non est, fines potestatis coercitivae Ecclesiae, aliis mediis, v. g. poena carceris, efficaciter obtineri non posse. Immo non raro, ut ex historia constat, sive tunc temporis sive post, illi qui poena capitali in poenam haeresis affecti sunt, in opinione vulgi quasi martyres habentur, et inde odium et invidia magna contra Ecclesiam excitatur, quae forte vitata fuisset, si mitioribus poenis at modo strenuo, constanti applicatis, operam etiam ad nutum Ecclesiae praestante Principe civili, repressi fuissent haeresis fautores. Ceterum, ut postea melius apparebit, alia prorsus est quaestio utrum *haeretici* possint *morte plecti*, alia utrum *penes Ecclesiam* sit ius eos, *ob crimen haeresis, poena capitali afficiendi.*

Adverti 2) debet, Ecclesiam non esse societatem *iuris naturalis*, proinde iura eius ex ordinatione divina esse repetenda. Ipsi certe attribui debent ea iura quae ad naturam societatis perfectae et ad potestatem legiferam etc... pertinent, at semper *pro eius fine*, et intra huius finis ambitum. Unde si *in quaestione* est aliquod ius, utrum nempe *omni* societati perfectae, an societati civili tantum ob eius specialem indolem competat, Ecclesiam vero ob proprium characterem forte dedeceat, adhuc ex documentis positivis repetenda erit solutio, et si tacent, libera manebit conclusio. Immo, praecise ex hoc quod Ecclesia sit societas supernaturalis, a Christo directe condita, non repugnaret aliquod ius ad societatem perfectam *naturaliter* consequens, Ecclesiae a Christo fuisse denegatum, dummodo per auxilia supernaturalia efficaciori et meliori modo suppleatur: quae tamen *exceptio* et ipsa *positive* probanda erit.

Non probatur ius gladii. — Patet ius Ecclesiae poenam capitalem infligendi nullo argumento *scripturistico* directe et expresse probari, nec ullus *Patrum consensus* in hanc sententiam haberi, quam potius respuunt, ubi aliquid de tali re dicunt, unde et Gratianus asserere potuit: « Ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali, criminosos feriri iubet » (1).

(1) Dictum Gratiani, ad c. 6, C. 33, q. 2.

agitata, multo magis apud Scholasticos, donec saeculo XIII potius sententia affirmans praevaleret, utrum haeretici *possint poena mortis plecti;* Patres vero et antiqui Theologi *Ecclesiae ipsi* ius gladii non attribuerunt (1).

An saltem confici possit argumentum ex *praxi constanti* Ecclesiae vel ex *declarationibus magisterii ecclesiastici?* Hoc negamus.

Nam 1) Ecclesia *nulla lege* poenam mortis tulit contra violatores legum canonicarum, qua talium; 2) immo assertiones praesto sunt quibus huiusmodi potestatem se habere satis clare negavit.

Et primo quidem nulla lex affertur, nulla ante Gratianum existebat, nulla postea lata fuit; nec afferri possunt nisi textus quibus haeretici declarantur brachio saeculari tradendi « animadversione debita puniendi » (2). At simul pro eis « debet Ecclesia efficaciter intercedere ut citra mortis periculum circa (eos) sententia moderetur (3) » a iudice laicali; quae protestatio, si Ecclesia intendisset poenam mortis suo nomine applicari, ut asserit Pirhing (loco supra citato), ficta plane et mendax habenda esset.

Immo hanc potestatem Ecclesia disertis verbis se respuere declaravit. Iam enim a S. Leone M. pronuntiabantur verba: Ecclesia « cruentas refugit ultiones (4) », et a Nicolao I: « Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, non occidit, sed vivificat » (5). Inde postea obtinuerunt effata illa iuridica: *Ecclesia non occidit; Ecclesia a sanguine abhorret.*

Confirmatur sententia nostra ex *inutilitate* vel *impossibilitate* pro Ecclesia hoc iure utendi. Si enim Status ipsi favet, tali potestate non egebit; sive Status, ut infra dicetur, habens crimina quibus graviter perturbatur Ecclesia, (ut sibi contraria) ea ut talia suo modo puniat, sive saltem poenas minores quas Ecclesia sufficere iudicaverit, exequatur. Si e

(1) Cf. Dubruel, in Nouvelle Revue Théolog. a. 1908, p. 65 sq.
(2) C. 9 et 15, De haereticis (V. 7).
(3) C. 27, De V. S. (V. 40).
(4) Epist. XV, ad Turribium. Migne, P. L. t. LIV, col. 680.
(5) C. 6, C. 33, q. 2.

contra Status Ecclesiae est infensus, iure gladii Ecclesia uti non poterit: aut enim *physice* impedietur, aut saltem *moraliter*, ne graves oriantur perturbationes.

Concludendum ergo videtur non esse tribuendam Ecclesiae potestatem qua nunquam usa est, cum per tot saecula potuisset; quam nedum sibi vindicaret, potius disertis verbis respuit; cuius tandem usus semper ipsi inutilis vel impossibilis foret.

Solvuntur obiectiones. — Contra sententiam statim expositam obiicitur: 1) *non-usus* alicuius potestatis ipsam deesse non probat. *Resp.: non-usus* est bonum argumentum, quando potestas exerceri potuisset, nihilque obstitisset? Cur enim *essentialis* et *necessaria* haberi deberet potestas quae nunquam exercita est, quando facile potuisset? et, si revera Ecclesiae competeret, non defuerunt occasiones quibus ea uti debuisset.

2) Non debemus negare nec etiam silentio premere iura Ecclesiae, eo quod his uti nequit: sic enim inimicis eius plane favemus et timiditate et vecordia nostra castra Ecclesiae deserimus. Tali autem assertioni, de se omnino iustae, respondere sufficit *distinguendo*. Si quando de *iuribus certis* Ecclesiae est quaestio, plane *consentimus:* quamvis enim prudentia exigere possit ut in modo ea vindicandi ratio habeatur temporis et adiunctorum, ne potius noceat ob fervorem controversiae veritas, quae pacate et modeste exposita animos errantium convicisset, tamen non sunt dissimulanda, multo minus neganda vera principia. Sed plane aliud dici debet, si quando de iure valde controverso agitur, de potestate quam multi, ne dicam plurimi, Ecclesiae non agnoscunt. Nulla tunc ratio apparet cur quasi res certa vindicari debeat, cum praesertim sciatur inde ansam dari vehementibus contra Ecclesiam accusationibus (1).

3) Sed, dicunt, plurima facta afferuntur quibus ostenditur Ecclesiam poenam capitalem inflixisse. *Resp.:* limites huius brevis tractationis praetergrederemur si historica facta

(1) Cf. Civiltà cattol. ser. 18, t. 7. p. 18.

omnia ad trutinam revocare vellemus. Sufficiat animadvertere, RR. Pontifices vel etiam Episcopos, ut Principes temporales, capitalem poenam aliquando inflixisse, praesertim quando rei delictorum canonicorum simul multis et horrendis flagitiis iuris communis rei exstiterunt, ut patet legenti historiam Giordani Bruni et aliorum eiusdem generis. Poenam capitalem ob delictum canonicum R. Pontificem unquam decrevisse negamus. Inquisitio, qua tribunal ecclesiasticum, poenam mortis non tulit; aliter in Hispania, ubi tribunal mixtum exstitit.

Unica seria difficultas moveri potest de *traditione brachio saeculari,* sive quia cognoscebatur poenam mortis haereticis etc. inflictum iri, sive quia ipsae leges civiles, quibus morti addicebantur, ab Ecclesia non raro approbatae fuerunt. At sufficiet ostendere has leges ab ipsis Principibus saecularibus latas esse, non quidem ad instigationem Ecclesiae, ut praeclare ostendit Cardin. Hergenröther (1), sed ob intimam ipsorum persuasionem, haereticos et schismaticos perturbatores pessimos esse ordinis publici: quod quidem nemo inficiabitur si, historia duce, examinet quid fuerint haeretici praesertim priorum saeculorum, quid etiam saec. XII et XIII Cathari et Albigenses, omnia perturbantes sus deque vertentes; (2) et lugenda Pseudo-Reformationis historia iudicium illud non multum mutaret (3)!

Si quis intimam unionem cogitaverit quae inter Statum et Ecclesiam iam in Imperio Romano ad fidem converso, vel adhuc magis apud populos Francorum exstitit, facile intelliget quomodo *religionem christianam* sicut et *moralitatem,* ut fundamentum omnis boni et publicae felicitatis habere potuerint; qui autem ipsas evertebant, ut inimici ipsius civilis societatis apparebant. Unde Iustinianus in suo Codice legem inseruit ab Arcadio et Honorio latam et a Theodosio confirmatam qua haeretici capite damnabantur « quia quod

(1) Katholische Kirche und christlicher Staat, XI, p. 542 sq.
(2) Cf. Herg.-Hollw. n. 140-41.
(3) Cf. infra Q. III, P. III, Schol. II, circa finem.

in religionem divinam committitur, in omnium fertur iniuriam » (1).

Quas leges Ecclesia reprobare non debuit, immo potuit Statum gravissimi eius officii monere. At ea monitio quae potius in ordine theoretico continetur et solutionem casus conscientiae refert, nullo modo probat Ecclesiam poenam capitalem persecutam esse contra violantes legem canonicam ut talem.

Unde concludere licet: Ius infligendi poenam capitalem contra violatores legum canonicarum ut talium, Ecclesiae competere non probatur, eiusque mansuetudini parum consentaneum videtur (2).

IV. Iura praetensa Status in Ecclesiam.

A. Generalis expositio et confutatio.

Iam ante infausta Pseudo-Reformationis tempora non defuerunt Principes qui, plus aequo suam auctoritatem zelantes, iura quaedam in Ecclesiam, quae potestati a Christo ipsi traditae directe contrariantur, vel factis sibi attribuerent vel etiam theoretice sibi vindicarent; quae iura praetensa fuere praesertim ius *Regii Placiti* et ius *Appellationis ab abusu*. At multo ulterius procedentes, theologi Protestantes systema quoddam completum *subiectionis,* immo et *servitutis Ecclesiae* erga Statum construxere, quod postea Regalistae et doctores aulici, ut Principibus faverent, admittere, expolire et etiam aggravare non erubuerunt.

Protestantes quidem necessitate coacti, ne statim de aperta contradictione cum suis principiis arguerentur, iustificare conati sunt intrusionem illam et usurpationem pote-

(1) L. 4 Cod. De haereticis etc., (I, 5). Cf. infra p. 168 sq.

(2) Cf. Vermeersch. « Ce glaive, qui ne lui servirait jamais, lui nuirait constamment, en altérant la douceur de sa physionomie, en éloignant d'elle les cœurs, en créant contre elle des préjugés plus dommageables peut-être qu'une propagande hérétique demeurée impunie ». Etudes, t. 126, p. 460.

statis ecclesiasticae a Principibus patratam, variaque systemata excogitaverunt ad explicandam sic dictam *translationem* potestatis religiosae ad gubernantes: inde systemata *episcopale, territoriale, collegiale,* de quibus fusius infra tractabitur (1), prout praetendebatur: vel 1) potestatem in Ecclesiam *devolutam* esse ab *Episcopis* ad Principes; vel 2) essentialiter ad Principes pertinere sive formam exteriorem religionis in suo *territorio* determinare, sive etiam ipsi dominari, ne Ecclesia fieret *Status in Statu;* vel 3) potestatem transmissam esse *delegatione* saltem tacita a coetu seu *collegio* fidelium ad Principem.

Ut tamen aliquatenus salvaretur idea potestatis religiosae a civili distinctae, recurrerunt ad distinctionem, aliquam inter iura *maiestatica* et *collegialia* in Ecclesiam quorum priora essentialiter et inalienabiliter ad Reges pertinent, posteriora ad coetum fidelium et per delegationem ipsius coetus ad Reges, ut supremam exerceant vigilantiam (ita Pfaff † 1760). Cui distinctioni analoga est distinctio in iura *circa sacra* et iura *in sacra* (inducta a Thomasio † 1728). Ius *in sacra* seu ius res sacras determinandi, declarandi, dirigendi, quatenus ad ministros Ecclesiae pertinet, reducitur ad meram administrationem rerum spiritualium quae a ministris inferioribus exercetur. Ius *circa sacra* est quaedam suprema dominatio et superintendentia in res sacras. Hoc ius inhaeret ipsi qualitati regentis et gubernantis; ius in sacra ad ipsum devolvi ipsique delegari potest. Quae Protestantium principia avide amplexi sunt non pauci Principes catholici. Nec defuerunt doctores aulici qui, ipsorum ambitioni faventes, ea catholicae Ecclesiae applicare conati sint, immo aliquando ultra Protestantes processerint. Hi « isthaec iura in immensum exaggerant, ita ut vim fere omnem ac facultatem utendi potestate hierarchica... in manus Principum consignent, Ecclesiae nihil propemodum, nisi eiusdem inane simulacrum relinquentes. Inter hos sunt, qui civitati vel ipsum *ius in sacra* vindicent, i. e. potestatem *directam* sacra determinandi,

(1) Conspectus histor. de relat. inter Eccl. et Stat. (Qu. II, P. IV).

declarandi et dirigendi; alii *ius* quidem nonnisi *circa sacra*... defendunt, sed ex hoc tam longam iurium seriem deducunt, ut istud ius *circa sacra* iuri *in sacra* plane coaequetur » (1). Concedunt enim quidam ius Principis in religionem non esse *directum* at *indirectum* ex necessitate ordinis publici et boni communis inductum. At in praxi vix ab aliis differunt.

Ius *circa sacra* continet potestatem *negativam* et potestatem *positivam*: 1) *negativam* seu ius *cavendi* ne damnum Reipublicae inferatur, praetextu religionis aut ex potestatis ecclesiasticae abusu, ~~et hoc ius~~ extenditur ad *Regium Placitum* et ius *Appellationis* ab *abusu* de quibus infra seorsim tractabitur. Potestas *positiva* seu ius *regendi* multa alia complectitur, praesertim: *a*) ius *supremae inspectionis* in omnia negotia ecclesiastica, in cultum externum, missiones, processiones, praedicationem, coactionem ab Ordinariis vel Religiosis exercitam; cui iuri Iosephinismus plenam addidit ingerentiam in administrationem et directionem officiorum ecclesiasticorum;

b) ius *protectionis* seu *advocatiae*, quo nomine intelligebatur ius « negotia ecclesiastica ad utilitatem Reipublicae convertendi ac dirigendi quantum id iusta ratione fieri potest (2) ». Sic princeps qui se dicebat *Episcopum externum* ad Ecclesiae defensionem constitutum, sibi usurpabat functiones *Episcopi interni*, etiam ius constituendi magistratus ecclesiasticos, vel saltem ad constitutionem eorum cooperandi; eos examinandi et probandi qui ad officia admittendi sint, nec raro inobedientes et rebelles contra Superiores ecclesiasticos protegendi et sustinendi;

c) ius *reformandi*, seu determinandi quibus conditionibus societas religiosa quaevis in Statu admitti et variis iuribus dotari possit. Quod ius, pro Febronio (De Statu Ecclesiae I, c. 9 § 6) extendebatur ad potestatem *abusus tollendi* et *canonum* observantiam *promovendi*. Inde clare patet plenam induci Ecclesiae servitutem: cum enim penes

(1) Aichner, § 39; Hergenr.-Hollw. § 19, n. 108.

(2) Rechberger et Pehem, scriptores Febroniani, ab Aichner, § 39, citati.

Statum sit decernere quid rectum in Ecclesia, quid abusus tollendus, tota Ecclesiae constitutio ab eius nutu pendet;

d) ius *supremi* seu *alti dominii,* quo iustificare voluerunt moderni fautores huius systematis, sive saecularizationem bonorum ecclesiasticorum sive taxas bonis Ecclesiae impositas.

Principium systematis. — Si quaeratur principium unde haec ampla potestas in religionem Principi attribuere liceat, ad hanc tandem formam reducitur, quamvis non ita crude ab omnibus exponatur: *Regia potestas est fons cuiuslibet iuris, etiam religiosi,* sive catholici sive protestantici. Possunt cives efformare associationes, communitates religiosas: hae vero manent Statui subordinatae, sunt *collegia,* i. e. societates natura sua mere conventionales et aequales (nempe ex libera conventione inter socios initae et cum aequalibus sociorum iuribus). « Sunt enim ecclesiae », ait Boehmer († 1749), « nihil aliud quam collegium aequale ».

In haec collegia Statui vindicant eadem iura quae iuxta Ius Romanum ipsi competebant in associationes inter cives; potest enim: 1) de illorum utilitate et opportunitate iudicare et proinde ea approbare, tolerare vel contra; 2) ipsis concedere aut ab eis tollere existentiam legalem ad quam omnia ipsorum *iura civilia* consequentur; 3) in ipsa invigilare ([1]).

Quod si Doctores qui se catholicos iactant, non semper ita crude suam sententiam exprimunt, ad idem in praxi deveniunt. Febronius enim admittit « Statum quemdam absolutum, cui *in suo territorio,* pro modo loquendi antiquorum patronorum systematis territorialis et recentiorum iuristarum, omnia sunt subordinata suoque fini servire debent, vel ipsa Ecclesia non exclusa » ([2]). Ulterius adhuc procedunt Iosephinismi fautores qui, principiis iuristarum huius temporis innixi, iura Principis ultra omnem modum exaggerantes et privatorum fere ad nihil reducentes, fingebant « ius quod-

([1]) Choupin, Valeur des décisions... du S. Siège, P. V, in prop. 41 Syllabi.

([2]) Wernz, I, n. 35.

dam eminens (Status) in omnia bona et iura privatorum, cui Ecclesia quoque non erat subducta » (1).

Refelluntur iura illa praetensa. — I. Mirum est *essentialia* potestati civili, *necessaria* et *inalienabilia* dictitari iura, quae per multa saecula ubique ignorata fuerunt, quaeque in locis multis vel nunquam viguerunt vel plane derelicta sunt, quin ullo modo auctoritas civilis sibi aliquid detrimenti inde accidere existimaverit. « Suprema potestas Imperatorum Romanorum, Caroli Magni, Othonis Magni, Friderici Barbarossae pati potuit, RR. Pontifices leges promulgare, quin prius imperatorium Placitum habuerint. Adhuc nunc Status multi, ut Belgium, Anglia, Status Foederati, quin et Turchia, illud ius non agnoscunt: an inde aliquid detrimenti patitur suprema ipsorum potestas? » (2).

II. Vix necesse est dicere nulla argumenta alicuius momenti erui posse ex fontibus Revelationis, vel ex historia; necessitate compulsi usurpationes iustificandi contra Ecclesiam patratas, haec systemata excogitaverunt Protestantes vel Aulici.

III. Quae autem argumenta adducunt « ex natura rei », i. e. ex ipso conceptu societatis civilis et publicae auctoritatis, breviter sunt expedienda.

a) Societas civilis, aiunt, habet ius *ad existentiam* et *se defendendi* contra iniustam Ecclesiae aggressionem, inde *ius cavendi*. — *Resp.:* Esto habeat hoc ius si unquam *evidentem* aggressionem pateretur, habebitne ius perpetuae *suspicionis, inspectionis,* immo et *dominationis?* Iam Gregorius II ita Leonem Isauricum commonebat: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, sic neque Imperator in Ecclesiam introspiciendi » (3).

b) *Ecclesia indiget Statu:* cum ergo Status eam defendat, protegat, potest etiam potestatis eius limites determinare (ius *protectionis,* ius *reformandi*). — *Resp.:* etiam Prin-

(1) Wernz, I, n. 35.

(2) Papius, zur Geschichte des Placet, in Period. Archiv. für Kath. Kirchenrecht, t. XVIII, 232.

(3) Bullar. magn. t. I, p. 140.

ceps indiget exercitu, ergo exercitus potest eius potestatis limites determinare! (1).

c) Ubi *plures* sunt *religiones,* ius habet Status ut in *pace* et *concordia* inter se vivant (inde ius *supremae inspectionis* etc.). *Resp.:* procedit haec obiectio ex falsis pseudo-liberalismi principiis, iuxta quae iisdem gaudent iuribus vera et falsae religiones. Nullo iure obiectivo gaudent falsae religiones et si aliquando *tolerari possunt,* hoc non ipsis *debetur*, nullumque ius inde Statui in veram religionem, in Ecclesiam catholicam competit.

Ceterum infra, ubi de relationibus Ecclesiae cum Statu ex professo tractabitur, ostendetur quomodo debeat Status Ecclesiam *protegere*, at non sensu illius praetensi iuris *protectionis* seu *advocatiae* quod directe opponitur *independentiae* potestatis Ecclesiae in sua membra. Veram quidem protectionem concedere est Status officium, « at protectio contra voluntatem protecti, ius protectionis quo in tutela ponitur aliqua societas in proprio suae activitatis ambitu, protectio ab Ecclesia minime expetita, eius fini opposita, mera est oppressio, et conscientiae libertatem violat » (2).

B. De Placito regio.

(*Phillips, Kirchenrecht, t. II, § CXII; Müller, De placito regio, Lovanii 1877; Liberatore C. III, art. VII, n. 258 sq.*)

Placitum seu *Placet regium* directe opponitur potestati legiferae et administrativae Ecclesiae. Definiri potest: « *actus* quo *auctoritas civilis permittit* ut Bullae seu Brevia R. Pontificis vel etiam mandata alius Superioris ecclesiastici in regno *publicentur* sive *executioni mandentur* (3). *Ius* autem Pla-

(1) Hammerstein l. I. P. III, § 2, p. 133.

(2) Herg.-Hollw. n. 111.

(3) Plures auctores distinguunt a Placito regio, quae esset potestas promulgandi, « Exsequatur », facultatem promulgata exsequendi. Alii Placitum regium dicunt potestatem in dispositiones quae ab auctoritate ecclesiastica

citi regii est *facultas* quam auctoritas civilis ut *propriam* sibi vindicat, acta et decreta S. Sedis vel ordinationes alicuius Superioris ecclesiastici, priusquam in regno promulgentur, *perlustrandi* earumque *executionem*, pro arbitrio suo, aut *permittendi* aut *prohibendi* » (1). A Van Espenio, pro conceptione sua Status et Ecclesiae, sic definitur: « Ius defensionis adversus Ecclesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati publicae, cuius virtute declarat nullam habere vim Bullas, Brevia Pontificum atque alium quemlibet actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuit impertita » (2).

Sed aliud omnino est quod Principes sibi *aliquando potestatem* attribuerint coarctandi libertatem Ecclesiae sua acta promulgandi, aliud quod huiusmodi tentamina ut *ius* sibi *proprium* vindicaverint. Varia enim attentata potestatis regiae referri possunt iam saeculo XII in Anglia et Sicilia, dein in Gallia a. 1381 quando Dux Andegavensis, regni administrator, coerceri fecit rectorem Academiae Parisiensis ob lectas publice litteras Urbani VI, quibus Dux ad obedientiam revocabatur; iterum in Sicilia a. 1405, in Lusitania a. 1486, in Hispania a. 1509; haec autem iniusta tentamina nullo modo processisse videntur ex erroneo conceptu alicuius iuris quod Statui competeret in omnia Ecclesiae acta inspicienda (3).

Plures autem sunt occasiones historicae ex quibus ortum habuit theoria Placiti regii ut iuris quod auctoritati regiae competeret. *a*) Prima quidem est lugendum illud occidentale Schisma quod ad tempus Ecclesiae unitatem laceravit. Ipse Urbanus VI (1378-1389) Episcopis praecepit ut Bullas, quae a S. Sede provenire dicerentur, examinarent, ut authenticas a falsis discernerent. At quidam Episcopi, necnon quidam

intra territorium regni existente emanant, praesertim Episcoporum; « Exsequatur », potestatem in acta quae ab auctoritate extra territorium procedunt, i. e. a R. Pontifice. Cf. Liberatore.

(1) Müller, in praefat.

(2) Cf. Cavagnis, t. II, n. 2.

(3) Cf. Herg.-Hollw. n. 116, p. 104, n. 2, ubi refert sententiam conformem Hinschii, Kirchenrecht, III, p. 751.

Principes ius illud ita interpretati sunt ut dicerent tales pontificias litteras, ubi etiam de earum authenticitate nullum existeret dubium, sine suo consensu et *placito* promulgari non posse. Quapropter Bonifacius IX (1389-1404) hanc potestatem revocavit, et post eum iterum solemniter Martinus V in Concilio Constantiensi (1414-1418), Bulla « Quod antidota ».

Nihilominus, ex eo tempore, semper inventi sunt sive Episcopi sive Principes qui, nunc in hac, nunc in illa regione huiusmodi potestatem sibi attribuerent. In Gallia, a *Pragmatica Sanctione Bituricensi* (a. 1438) repetenda est origo Placiti regii et Appellationis ab abusu. Parlamentis Galliae concedebatur potestas verificandi Bullas earumque publicationem permittendi. Quae Parlamenta revocationem Pragmaticae a Ludovico XI factam aegre tulerunt vixque in praxi observaverunt; iterum Ludovicus XI, a. 1475, suis officialibus acta S. Sedis examinanda subiecit, nec abusum illum extirpare potuit Concordatum inter Leonem X et Franciscum I a. 1516 initum, quod ceterum Parlamentum Parisiense per multos annos agnoscere detrectavit.

b) Secundam occasionem praebuit Pseudo-Reformatio. Iniqua praxis quae a tempore Pacis Augustanae (a. 1555) inducta, per Pacem Westphalicam confirmata est (a. 1648), permittens Principi subditos suos propriam confessionem imponendi, iuxta effatum: « Cuius regio, illius religio », omnia S. Sedis acta mero arbitrio Principis in Statu haeretico subiecit.

c) Tandem, ut ultima ratio, allegari debet aemulatio Principum etiam catholicorum contra S. Sedem; unde, per modum vexationis et concertationis contra R. Pontificem, eadem iura sibi vindicare non dubitaverunt.

Fere in omnibus regionibus Europae iam saeculo XVII, multo magis adhuc saec. XVIII, in usu fuit Placitum regium. Nunc post varias politicas convulsiones a. 1789 sq., 1830, 1848, in multis regionibus vel expresse sublatum est vel practice obsolevit. Sic in Belgio per art. 14 et 16 Constitutionis a. 1831, in Borussia iam per litteras ministeriales a 1841, postea per art. 15, 16 Constitutionis a. 1850 plena libertas

communicationis inter pastores et fideles agnoscitur et si per « *leges ecclesiasticas* » vexatrices (a. 1872-73) cui nomen datum est *Kulturkampf*, Appellatio ab abusu iterum vindicata fuit, Placitum regium obsoletum mansit; item in Austria (art. 2, 3 Concordati a. 1855). In Gallia, in Italia practice cessavit Placitum.

Confutatio Placiti regii. — Argumentum praecipuum in favorem Placiti, est istud: Auctoritas civilis habet *ius*, immo *officium* a territorio suo excludendi quidquid ordinem civilem aut religiosum turbare valet vel subiectos opprimere; praecipere ergo potest ut ecclesiasticae ordinationes sibi *praesententur*, quo melius iudicare valeat num quid nocivi contineant, quo in casu eas *prohibere potest* et *debet*.

At iam ostensum fuit quam illogicum sit vindicare ut ius essentiale et inalienabile potestatis civilis id quod per multa saecula (1) ubique ignoratum fuit, et quod in multis regionibus vel nunquam viguit vel non viget, quin ullum detrimentum potestas suprema sibi obvenire putaverit vel putet. Adde quod iniustissimae et intolerabili suspicioni obiicitur Ecclesia, quasi filiorum suorum semper perniciem machinaretur, ita ut quoties aliquid pro sui gregis regimine promit, adduci ad magistratum debeat ne Imperii salus periclitetur (2).

Directe refellitur praetensum ius. I. Tam bene posset *Ecclesia* contra *Statum* ius Placiti sibi vindicare quam *Status* contra *Ecclesiam*, immo multo magis, cum iuxta S. Ambrosium constet: « avidos magis esse Imperatores sacerdotii quam Sacerdotes imperii ». Unde scite asserit Tarquini (l. c. p. 160): « neque *Ecclesiam* adversus *Statum*, neque *Statum* adversus *Ecclesiam* posse sine maxima iniuria *Placito* uti; licet enim Ecclesia de vobis, vos de Ecclesia (quod vel cogitare horrendum est) suspicari possetis, neutra tamen pars ius aliud haberet quam vigilandi, et, si quidem constaret suspicio, tuendi se intra *ordinis* et *iustitiae leges* ».

(1) Cf. supra, p. 100.

(2) Cf. Phillips II. § 112 (ed. gall. p. 420); Tarqui. ed. XXI p. 148 sq.

II. Placitum regium est *directe* contra potestatem Ecclesiae *legiferam* et *administrativam*. Si enim leges ferre potest, necessario sequitur ipsam posse leges suas promulgare et executioni mandare, et has leges vim obligativam sortiri independenter ab auctoritate civili. « Finge validitatem praeceptorum Ecclesiae pendere a membro Ecclesiae, quod ipsum obedire debet, vel etiam a gubernio acatholico, obedientia erga Ecclesiam legitima esse incipiet quando consentiet potestas temporalis. Praeceptum temporalis potestatis ultimam rationem obedientiae, subditis Ecclesiae impositae, continebit potestas socialis evadet suprema Ecclesiae potestas » (1). Haec quidem principiis protestanticis conformia sunt, at catholica principia prorsus evertunt.

Quod si hoc ius auctoritati civili ex *natura rei* convenit, etiam Principibus paganis debet adiudicari, quod quam absonum sit, nemo non videt; si solis christianis restringitur, ergo peior facta est conditio Ecclesiae in Statibus christianis. At est compensatio pro protectione a Statu collata! Ad quid talis protectio quae servitutem invehit?

Adde quod limites huius *iuris* male sunt definiti: si extendatur, ut quidam volunt, etiam ad decisiones dogmaticas, plurima involvitur contradictio: Status enim catholicus nequit decisionem dogmaticam respuere quin *practice* neget Ecclesiam; *inutiliter* et *absurde* reiicit declarationem doctrinalem, cui internus assensus debetur statim ac cognoscitur. Nostris autem diebus, quando errori et falsitati plena libertas exterius se prodendi conceditur, adhuc intolerabilior esset abusus, si Ecclesiae libertas denegaretur veritatem palam proclamandi.

III. Ceterum, iam *implicite* damnatum est Placitum regium ab Ecclesia in severis obiurgationibus Principibus factis qui *violentia* libertatem Ecclesiae constringebant. Sufficiat in memoriam revocare quid Lucifer Calaritanus ad Constantium, quid S. Ioannes Damascenus (2), et ante Da-

(1) Herg.-Hollw. n. 116.
(2) Supra p. 59, 60.

mascenum quid Hosius Cordubensis, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius in favorem Ecclesiae contra iniustas Principum praetensiones dixerint (1).

IV. Postquam vero *explicite* fuit expressa theoria Placiti regii, etiam *explicite* fuit reprobata. Longam seriem Bullarum quibus condemnata est exhibet Cavagnis (t. II n. 251). Quaedam loca afferre satis erit. In Bulla Clementis XI « Nova semper » declaratur Placitum *exsecrandus abusus, a ss. Canonibus et multis actis pontificiis sub poena excommunicationis damnatus*; — ab Innoc. X, Brevi 11 Nov. 1651, *praetensum* illud *privilegium* dicitur *potestatem papalem annihilare*; — a Pio IX *turpe* et *impium inventum* declaratur (9 Maii 1853 « Probe nostis »), *iniusta lex*, per quam dicit « laedi divinam Ecclesiae auctoritatem eiusque libertatem violari » (Alloc. 12 Mart. 1877).

Adde propos. 28 Syllabi: « Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel ipsas *apostolicas litteras* promulgare » et 41: « Civili potestati.... competit... ius quod vocant *exsequatur* ». Immo et ab ipso Concilio Vaticano damnatur et reprobatur sententia illorun qui contendunt: « quae ab Apost. Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur » (2).

C. Appellatio ab abusu.

Definiri potest: *provocatio* ab *inferiore* iudice ad *superiorem* ut per eius sententiam id quod *male iudicatum* est, *tollatur* vel *emendetur*. Contra sententiam *iniquam*, i. e. contra *aequitatem*, etsi a iudice competente et cum formis legalibus prolatam, habetur appellatio *simplex*; contra sententiam *iniustam* ob defectum vel *competentiae* in iudice vel *formae essentialis*, habetur *appellatio ab abusu*. Sensu Gallicanorum (post

(1) Cf. Tarq. p. 165 not. 9.
(2) Sess. 4, c. 3. Denz.-Bann. n. 1829.

Richerium) et Febronianorum, Appellatio ab abusu significat *provocationem a iudice ecclesiastico qui sua potestate abusus est, ad iudicem saecularem.* Admittunt quidem plures inter illos, iudicem saecularem non posse de ipsa materia ecclesiastica cognoscere, ergo reiiciunt *appellationem simplicem*; contendunt autem competere ipsi *appellationem ab abusu*, i. e. sive de competentia iudicis ecclesiastici (quam ceterum saepe ad valde angustos limites constringunt), sive de formis iudicialibus essentialibus non observatis.

Ratio quae a fautoribus huius theoriae invocatur, duplex est: 1) auctoritatis civilis est cognoscere quid *ad forum saeculare* pertineat, ergo per consequentiam quid *ecclesiastico foro* reservetur; 2) ipsius est membra sua *ab omni tyrannide* et *oppressione defendere*; (in specie ~~omnino~~ ~~reiiciunt~~ ius Episcopi sententias ex informata conscientia pronuntiandi) [1].

Confutatio. — I. Iam falsitas eius theoriae ex ipsa definitione appellationis ab abusu, non qualis fingitur a Gallicanis et Febronianis, sed qualis a iuristis communiter traditur, clare ostenditur. Appellatio enim fit a iudice *inferiore* ad *superiorem* (et subauditur *in eodem ordine*); iamvero potestas *ecclesiastica* iudicialis non est inferior *laicali*, immo illi *superior* est ab illaque plane *independens*; et versantur in *ordine* prorsus *diverso*. Potestas civilis est incompetens tum in rebus spiritualibus ex suapte natura, tum in connexis cum spiritualibus, quae etiam pertinent ad iudicem qui de spiritualibus cognoscere valet.

II. Ratio prima adducta a fautoribus appellationis ab abusu est merum sophisma. Potest revera iudex saecularis de sua competentia decernere, sed in ordine ad res quas tribunalia laicalia iudicare possunt, utrum scilicet ad ipsum pertineant vel ad alios iudices laicales; aut etiam potest se incompetentem declarare, quando ad ipsum defertur quaestio quae certe ad tribunal ecclesiasticum pertinet. At ad ipsum non pertinet, quando quaestio certe ecclesiastica est, decernere utrum *tali* vel *tali tribunali ecclesiastico* reservetur:

(1) Cf. Supplem. Iuris priv. p. 109 sq.

haec determinatio ipsius Ecclesiae est; et si quando dubium existat utrum res *foro ecclesiastico* an *laicali* sit adiudicanda, Ecclesiae adhuc est dubium dirimere, utpote quae societas ordinis superioris est. Huc apte veniunt verba Bonifacii VIII in Bulla « Unam Sanctam »: « Si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari » (1).

III. Altera ratio adversariorum, i. e. defensio subiectorum ab oppressione et tyrannide, gratuitam iniuriam contra Ecclesiam continet, si huiusmodi oppressionem considerat ut rem necessario et semper praevidendam et cavendam (2). Si autem restringitur ad casum possibilem, pro humana fragilitate, abusus auctoritatis ab aliquo iudice ecclesiastico patrari, facili responsione diluitur. Si enim evidens est incompetentia iudicis, (ut si iudex ecclesiasticus de causa proprietatis inter laicos decernat), reiici potest eius sententia, nec locus est *appellationi ab abusu*. Immo olim permissum fuit, ut si quando tribunal ecclesiasticum certe incompetens vel modo evidenter iniusto condemnationem tulisset, implorare a potestate laicali iudicium tribunalis *ecclesiastici competentis* (3): sic Athanasius contra sententiam conciliabuli Ariani, Chrysostomus contra condemnationem manifeste iniustam a Theophilo, Patriarcha Alexandrino, contra se latam ad Imperatorem appellaverunt (4). At ibi nihil invenitur nisi invocatio brachii saecularis in auxilium Ecclesiae, nullum ius, nulla auctoritas potestatis civilis in Ecclesiam. Patet vero, ex mutatis circumstantiis, necessitatem huiusmodi recursus rarissimam fore, cum facilis ad S. Sedem aditus aperiatur.

(1) Denz.-Bann. n. 469.
(2) Supra, de Placito regio, p. 104.
(3) Can. Placuit, 11, C. XI, P. 1. = Conc. Carthagin. XI, a 407.
(4) Cf. Cavagnis t. II n. 55; Phillips, t. II. § 112, trad. franç. p. 427.

QUAESTIO II.

De relationibus inter Ecclesiam et societates civiles

PARS I. PRAENOTANDA

A. Status quaestionis.

Postquam in Quaestione I. inquisivimus de potestate Ecclesiae in sua membra, logice ducimur ad considerandum quid potestatis in *extraneos* habeat, praesertim vero in eos qui ipsi extranei sunt tantum *ex parte* seu *per quamdam abstractionem* (1). Cum autem fideles ipsi dicantur ex parte extranei Ecclesiae, eo quod simul ad aliam vel alias societates pertinent, praesertim vero ad civilem societatem, actualis inquisitio fere reducitur ad scrutandas *relationes* quae inter *Ecclesiam* et *societatem civilem* fidelium intercedunt. At Status quidam constant vel totaliter vel quoad magnam partem infidelibus, et ab ipsis reguntur: infideles vero Ecclesiae *totaliter* sunt *extranei;* alii Status, quamvis baptizatis conflentur, *subiectionem omnem* erga Ecclesiam catholicam *respuunt* (sic Status acatholici), vel « *neutralitatem* », ut aiunt, seu *indifferentismum* erga eam profitentur. Expositis ergo

(1) Supra p. 35.

principiis quae relationes regunt inter Ecclesiam et societates, quarum membra sunt simul Ecclesiae membra, operae pretium erit quaedam addere de relationibus quae inter Ecclesiam et illas alias societates, sive *theoretice* existere *debent*, sive *practice* existere *possunt*.

Tandem ut etiam principia factis illustrentur, subiungetur *conspectus* quidam *historicus* de relationibus quae inter Ecclesiam et Status a condita Ecclesia usque ad nostra tempora exstitere. Quamvis enim partes investigationis historicae nimis exaggerari non debeant (1), quasi non suppeterent principia dogmatica quibus hae relationes *iure divino* et *immutabiliter* innitantur, tamen inde illustratur haec materia, *forma* et *applicationes* variae pro variis circumstantiis inducuntur, *errores* deprehenduntur, et concessiones licitae, quas Ecclesia facere potest, in exercitio ipso cognoscuntur (2).

Sed antequam rem ipsam aggrediamur, interest notiones quasdam proponere: 1) quinam scilicet dici debeant Ecclesiae *extranei* vel *totaliter* vel *ex parte;* 2) quomodo inter se distinguantur *obiecta* circa quae locus esse poterit ecclesiasticae potestatis exercitio; 3) quae *systemata* circa relationes inter Ecclesiam et Statum vel ab adversariis Ecclesiae vel ab ipsis Catholicis excogitata fuerint.

B. Notiones.

I. *Extranei simpliciter* (seu *totaliter*, *perfecte*) Ecclesiae, sunt *non-baptizati, infideles; extranei sub aliquo respectu (ex parte, imperfecte, per quamdam abstractionem)*, in quantum nempe considerantur ut membra alicuius alius societatis praeter Ecclesiam, sunt omnes et soli *baptizati* per baptisma aquae validum, non per baptisma flaminis (seu desiderii)

(1) Quam exaggerationem Scherer, Handbuch des Kirchenrechts, § 9, et alii non satis vitaverunt.

(2) Wernz, Ius Decret. I. n. 11 cum notis.

nec sanguinis. Baptismus enim aquae (seu fluminis) valide collatus quasi ianua est per quam quis in Ecclesiam ingreditur (1). Fit homo membrum Ecclesiae ope characteris illius baptismalis quo anima, tanquam membrum corporis Christi mystici, interne signatur. Et quamvis possit illud membrum *actu* separari ab Ecclesia, manente tamen sigillo illo indelebili, ad ipsam pertinere nunquam desinet. *Membrum* quidem sensu stricto non amplius dicetur, nam ad hoc tria requiruntur praeter validum baptisma: *externa fidei professio, externa in sacramentis participatio, externa subordinatio hierarchiae ecclesiasticae*. Manebit tamen Ecclesiae *subiectus;* sicut subiectum manet membrum illud quod, perdita gratia sanctificante, fit membrum *mortuum*. Unde non potest perfecta institui comparatio cum societate civili a qua quis *ita* potest voluntarie se separare vel etiam invite expelli *ut* omne ligamen cum ea abrumpatur: ligamen cum Ecclesia est ipse character baptismalis qui est indelebilis.

Haeretici, schismatici, apostatae, excommunicati (probabilius etiam tolerati) non sunt amplius Ecclesiae membra, manent tamen ipsi subiecti; haereticus occultus, iuxta communiorem sententiam, (cum Bellarmino, contra Suarez), manet membrum Ecclesiae. At infideles etsi iam catechumeni, vel converti volentes, immo etiam iustificati per fidem et caritatem perfectam, non sunt membra, deficiente charactere baptismatis (2).

II. Res vero circa quae locus esse poterit exercitio potestatis ecclesiasticae distinguuntur in res *spirituales*, *temporales* et *mixtas*. Quae quidem nomina non adhibentur sensu *ontologico,* ad essentiam physicam rei designandam, sed sensu *finali:* aliis verbis hic non dicitur res *spiritualis* quae non cadit sub sensibus, quia est invisibilis et mere interna; *temporalis*, quae materialis est et sensibus attingitur; dicimus res spirituales vel temporales ratione *destinationis,* quod apte animadvertit Phillips: « Limes seu terminus quo sepa-

(1) Wernz, I, 103, not. 78, 81.
(2) Cf. Pesch, Praelect. dogmat. n. 329; Wernz, l. c., not. 82.

ratur dominium spirituale a temporali est rerum destinatio; sic ad ordinem spiritualem pertinet omnis res cuius scopus exclusive spiritualis est, quae nempe finem habet animarum salutem, quamvis ex natura sua sit materialis; dum e contra temporales habendae sunt res quae pro fine immediato temporale obiectum habent, quaeque ad ordinem et pacem societatis laicalis tuendam destinantur, quamvis ex natura sua materiales non sint » (1).

Quae quidem sunt probe notanda, ne iam ab initio in errorem illorum impingatur qui *Statui* attribuunt omnes res *natura sua temporales* et materiales, *Ecclesiae* omnes et solas res *spirituales*. « Protestanticum esset, ait Hammerstein, solum res internas seu invisibiles Ecclesiae vindicare, cum ipsa Ecclesia a Christo sit fundata, ut esset institutum visibile, ad homines visibiles dirigendos et visibilibus sacramentis in coelum perducendos (2) ».

His praenotatis, apte definiri potest, pro intento nostro, res *spiritualis:* illa quae, *tota quanta est, ad bonum spirituale,* ad finem supernaturalem *ordinatur;* res *temporalis,* quae, *tota quanta est, ad bonum temporale,* ad felicitatem temporalem *dirigitur*. Sic ad res spirituales (et mere ecclesiasticas) spectat: « clericorum institutio vel examen, ad certa officia ecclesiastica deputatio; cultus divinus sive intra sive extra ecclesiarum muros...; dies festi et ieiunii eorumque observatio vel abrogatio; disciplina ecclesiastica tum clericorum tum laicorum; bona ecclesiastica eorumque administratio; Ordines religiosi et Congregationes, etc. (3). Inter res mere civiles sunt: constitutio magistratuum civilium, res militaris, bona externa Statuum; si vero res *temporales* spectantur quae potius ad privatos pertinent, hoc nomine veniunt bona hominis *externa,* divitiae, fama, honor, sed et *interna* bona plura, sanitas, animi cultura per scientias, artes, necnon ea

(1) Phillips, t. II § 110, init.

(2) Hammerst. De Eccl. et Statu, l. I, P. III, p. 145; Cf. Herg-Hollw. n. 74.

(3) Hammerst. l. c.

quae circa haec omnia versantur, ut sunt contractus circa res profanas, etc.

Quid autem veniet nomine *rei mixtae?* Responsio haud levem patitur difficultatem, ob discrepantiam quae circa usum huius vocis apud auctores notatur.

Multum autem refert ut in materia de se difficili causa nova difficultatum et obscuritatum non introducatur. Hac de ratione videtur aptius eligenda et constanter retinenda per decursum huius tractationis definitio illa: *res mixta* ea est quae, *natura* vel saltem *destinatione sua, relationem habet simul ad utrumque finem*, nempe *spiritualem* (seu Ecclesiae) et *temporalem* (seu societatis civilis) (1). Res enim mundanae saepe sunt complexae et possunt, sub *diversis respectibus*, *immediate* ad utrumque finem tendere.

Potest quidem fieri ut character rei mixtae ex evolutione historica alicui rei accesserit, dummodo nulla habeatur

(1) Distinguit P. Biederlack (Instit. iuris eccl. publ. n. 54) res mixtas lato et stricto sensu: *lato sensu mixta* est res quae vel 1) ex mutua partium conventione, ita utriusque auctoritati subest, ut neutra sine alia in hanc rem agere possit (v. g. electio Episcoporum si, ex Concordato, Rex eos *nominare* potest) vel 2) res quae subest *praeventioni* unius partis, ex concessione alterius (sic olim a Constantino M. permissum est iudici ecclesiastico iudicare causas mere profanas ad se delatas ab uno litigantium, etiam invito altero); adhuc *latiori sensu mixta* dicitur res, quae quamvis omnino ad unam potestatem pertineat, alteri tamen aliquod affert *commodum* (ita delimitatio dioecesis, nominatio Episcoporum relate ad Statum, designatio magistratuum civilium relate ad Ecclesiam).

Stricto sensu mixtae sunt res quae ad utramque potestatem veram aliquam relationem habent et ad finem utriusque directe conferunt; ut sunt scholae etc.; et quidem, si *natura sua* vel *destinatione* propria hoc habent, sunt *mixtae per se; mixtae per accidens*, si respectus spiritualis *per humanam voluntatem* addatur: talis erit contractus iuramento firmatus; praesertim vero talis erit *actus omnis* cui accedit ratio *peccati*. Contractus quidem vel actus ille non cessant esse temporale quid ex natura sua, at fiunt res mixtae, quia accedit ille respectus spiritualis qui ipsis revera connectitur. At interest animadvertere agi tantum de *peccato externo*, immo de tali peccato quod *Ecclesiae*, ut *societas* est, *perniciosum* et graviter damnosum est: peccata enim *interna*, ad forum externum Ecclesiae cum non pertineant, manent extra quaestionem nostram. Cf. Wernz, De iudic., Lithogr. p. 234.

oppositio cum lege divina (1): res tunc pergit pertinere ex sua destinatione ad unam potestatem, sed alteri ex conventione, consuetudine permittitur in ipsam influere. *Sensu* tamen *stricto,* mixtae res non sunt nisi illae quae, considerato fine et destinatione, simul immediate ad ordinem spiritualem et ad temporalem pertinent. Huiusmodi sunt scholae, cura pauperum et infirmorum, matrimonium. Scholae enim, in quantum per institutionem puerorum medium sunt efficacissimum eos ad finem suum supernaturalem dirigendi, immo quasi radix et fundamentum illius directionis, res spirituales sunt; ex altera vero parte, magni interest societatis civilis recta civium institutio quae praesertim per scholas habetur. Cura pauperum et infirmorum semper ab Ecclesia spectata est ut quid ad se pertinens, ex vocatione sua caritatem docendi et exercendi (2); Status etiam eam habere debet, ex fine suo procurandi bonum temporale subditorum, praesertim ubi ipsi magis derelicti et impotentes sunt.

De matrimonio vero inter Christianos omnino animadvertendum est illud esse, ex natura sua intima, immediate Ecclesiae subiectum: contractus enim matrimonialis est ipsum sacramentum, in quod sola Ecclesia est competens. Nihilominus dici potest res mixta et a Leone XIII inter res *mixti iuris* connumeratur (3), propter effectus civiles qui ad matrimonium consequuntur. Ex matrimonio enim exsurgit societas familialis, cuius constitutio multos producit effectus multasque gignit quaestiones, quae prosperitatem Status tangunt, v. g. de dote, alimentis, donationibus propter nuptias, haereditaria successione, etc. (4).

(1) Sic lato sensu erit res mixta institutio Episcoporum, ubi ex Concordato Princeps nominat R. Pontifici personam cui ipse institutionem collativam concedit.

(2) Vering, Instit. iuris eccles. p. 680. Cf. Trident. sess. 23, c. 1, De ref.

(3) Encycl. « Immortale Dei », § His autem positis. ed. Vatic. V, p. 135.

(4) Cf. Bargilliat, II, n. 1419 Wernz, De iudic., Lithog. p. 233. Pirhing, in l. II tit. 1, n. 70.

C. Varia systemata.

I. Hegemonia Status. — Cum in prima quaestione probatum fuerit Ecclesiam esse societatem perfectam a Deo institutam, habereque in membra sua varias potestates, planum est non instituendam esse denuo disputationem cum his qui, asserta illa negantes, Ecclesiam faciunt a Statu omnino dependentem, ita ut nulla iura habeat etiam intra propriae activitatis terminos, nisi quae a Statu ipsi sunt concessa (1). Inde iam habemus quod actiones subditorum Ecclesiae quae ad finem spiritualem directe tendunt aut cum fine spirituali necessario et inseparabiliter sunt connexae (ut quaestiones fidei, conditiones ad sacramenta recipienda) ad potestatem Ecclesiae exclusive pertineant. Qui hoc negat, etiam reiicit potestatem perfectam et independentem Ecclesiae et ad Quaestionem I. est reducendus.

II. Potestas directa Ecclesiae in Statum. — Ad extremum oppositum est sententia quae auctoritati civili nulla iura agnoscit nisi quae ab Ecclesia habet. Perpauci auctores Medii Aevi, laudabiliter quidem obsistere volentes erroribus Marsilii Patavini et sequacium eius, systema directe oppositum propugnaverunt. Quos post Bellarminum (De R. Pontifice, L. V, c. 1) enumerat Card. Hergenröther; inter quos eminuerunt Henricus de Segusia (Hostiensis), Augustinus Triumphus, Alvarus Pelagius, auctor celebris operis « De planctu Ecclesiae » (2); quibus praeiverat Ioannes Salisburgensis, in suo libro « Polycraticus, sive De nuptiis curialium », S. Thomae a Becket, a. 1179, dedicato. Hi Ecclesiae potestatem quamdam *universalem*, simul *temporalem* et *spiritualem*, in societates fidelium attribuerunt. Iesus Christus, Rex universi mundi iure divino, constituit suum Vicarium in

(1) Cf. Quaest. I, p. 54.
(2) Cf. Phillips, Kirchenrecht, § 133, in fine.

terris Regem temporalem et spiritualem; is vero, spiritualem sibi retinens potestatem, aliam Principibus delegavit, manente tamen penes ipsum auctoritate illos reprehendendi, corrigendi et etiam deponendi (1). Et haec quidem theoria confutabitur in prima Thesi ubi ostendetur utramque potestatem, ecclesiasticam et civilem, esse in suo orbe *supremam* et *independentem* (2).

III. Ecclesia libera in Statu libero. — Haec Status independentia probe intellegi debet, nec ullo modo ea est quae propugnatur a fautoribus systematum, quibus adagium illud est proprium: « *Ecclesia libera in Statu libero* ». Vindicatur ab illis *omnimoda* et *absoluta utriusque potestatis independentia*. At alio et alio modo eam intelligunt. A quibusdam enim intellegitur in praxi absoluta *independentia Status* ab Ecclesia, at *Status solius:* (sic a Comite de Cavour et aliis eiusdem *scholae*). Libertas equidem religioni concedit in templis et in quibusdam actibus externis vitae privatae fidelium, at in omnem externam activitatem et potestatem Ecclesiae ingerentiam sibi assumit Status, ne *libertas* propria quae iuxta illos ad totum ordinem externum se extendit, impediatur; unde practice ea fere omnia sibi vindicat Status quae *iura circa sacra* apud Protestantes et Regalistas audiunt; et habetur mutato nomine *hegemonia Status* in *Ecclesiam*.

Sinceri quidam Catholici, ut Comes de Montalembert, systema independentiae reciprocae utriusque societatis, ex intentione procurandi veram Ecclesiae libertatem propugnaverunt, ita ut iura exercere, cultum exequi, potestatem suam legiferam, iudicialem, coactivam omnino libere exercere valeret. Status tamen ipsi ulla in re subesse, ipsamque adiuvare recusat, et inter varias religiosas confessiones se indifferentem declarat et exhibet.

Hoc systema de se falsum est, nam omnino praescindit ob ordine supernaturali; dividit id quod Deus coniunxit,

(1) Cf. Card. Hergenr. l. I, Diss. VIII, n. 23 sq.
(2) Cf. Wernz, I, n. 10.

Ecclesiae in suis iuribus nocet, multo adhuc magis ipsi Statui quem sua suprema consecratione et dignitate spoliat (1). Poterit *practice* ab Ecclesia *tolerari*, ut malum minus quam esset immixtio Status in res ecclesiasticas, usurpatio et persecutio. Manet tamen semper deficiens, etiam quando probe a Statu agnoscitur et observatur: si enim conflictus oriatur et amicabilis compositio locum habere non potuerit, nullum manebit remedium, quod certe Deus velle non potuit (Cf. Schol. post Thes. I et Schol. III post Thes. II).

IV. Potestas directiva (2). — Systema illud quod praecipuos habuit fautores Bossuet, Du Pin, Fleury, agnoscit Ecclesiae potestatem Principes *dirigendi* per monita, instructiones, adhortationes, consilia. Ipsius est enim tam Principes quam subditos ~~suas~~ eorum obligationes docere, eosque, si eas transgrediuntur, monere, immo et reprehendere; in collisione iurium ostendet quid lex Dei statuat; de iustitia aut iniustitia legis humanae decernet. Plures etiam admitterent R. Pontificem *declarare* posse legem *manifeste iniustam* esse *nullam*, immo forte *tyranno*, qui iure naturali potentia sua excidit, *non amplius* esse *obediendum*. Reducitur tandem Ecclesia ad agendas partes boni Theologiae moralis lectoris, vel patrisfamilias relate ad filium iam emancipatum.

At Ecclesia nequit Principes in ulla re, quae ad potestatis eorum exercitium spectat, coercere etiam poenis spiritualibus, multo minus temporalibus, nec quidquam decernere quod ipsorum potestatem directe vel indirecte tangat. Dicebant enim: « Reges.. et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici neque auctoritati clavium directe vel indirecte deponi aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse » (3).

(1) Herg.-Hollw. n. 88 sq. Cf. infra Schol. Thesis I.

(2) Card. Hergenr. t. I, diss. VIII, n. 40 sq.; Moulart, l. II, c. II, art. II. Laurentius, n. 956. Bossuet, Defens. declar. cleri Gallic. P. I, L. II, c. 5: Fleury, Hist. eccles. t. IV, L. 19, n. 21.

(3) Declar. cleri Gallicani, art. 1. Denz.-Bann. n. 1322.

Formam quamdam systematis *directivae potestatis* adhibent Fénelon, Leibnitz et nostris temporibus Gosselin, Audisio, (1) quod *systema historicum* apte diceretur.

Admittunt hi Ecclesiam iura quaedam olim habuisse in res temporales, in specie in Principum depositionem, at his iuribus originem mere humanam et historicam attribuunt. Appellant ad *principium* quoddam *iuris publici* Medio Aevo universaliter *admissum*, quod tale fuisset: ex *quasi-necessitate* societatis huius temporis, concurrente *persuasione universali* populorum, existebat *vinculum* inter *potestatem regiam* et *religionem catholicam*. Insuper cum hoc tempore regia potestas plus minusve electiva esset, merito supponi potest aliquod *pactum* tacitum inter populum et Regem intercessisse de *vinculo* illo intacte servando: quando Rex aliquis excommunicationem incurrebat, a societate christiana excludebatur et si in sua obstinatione insordescebat, habebatur ut *pacti* violator et a populo merito *deponi* poterat. Antea vero R. Pontificem vel Concilium oecumenicum consulebant subditi: R. Pontifex vel Concilium, auctoritative applicans *principium* supra dictum, declarabat Principem iura amisisse et subditos a iuramento fidelitatis solvebat.

V. Systema potestatis indirectae. — *Nomen* illud a *Bellarmino* videtur *invectum*, *res* vero omnino est *antiqua*; docte enim ostendit Card. Hergenröther nil essentialiter diversum docuisse magnos Theologos Medii Aevi, et systema illud sententiam communem fuisse tempore Bellarmini.

Secundum hanc sententiam res temporalis *in se* et *per se* auctoritati Ecclesiae *non* est *subiecta;* constituitur enim Ecclesia ad fideles dirigendos in viam salutis aeternae: illi *per se* solae res religiosae subiiciuntur, temporalibus non se immiscet. Solum *quatenus* res temporales *fini spirituali obsunt* vel *necessariae* sunt, *eatenus* potest Ecclesia de iis sollicita

(1) Fénelon, Dissertat. touchant l'autorité du S. Pontife, c. 39; Leibnitz, Dissert. I de actorum publicorum usu. De iure suprematus, P. III; Gosselin, Pouvoir du Pape au Moyen Age; Audisio, Diritto pubb. della Chiesa, T. II, tit. 13.

esse et *in eas* suam *exercere potestatem*. Ut ipsis Bellarmini verbis utamur: « Spiritualis (potestas) non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere.... dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potet et debet coercere temporalem omni ratione ac via, quae ad id necessaria esse videbitur » (1).

De extensione huius potestatis sicut et de modo explicandi quaedam facta, v. g. depositiones Principum, non omnino inter se concordant qui hoc systema amplectuntur: quoad principia vero conformes sunt. Et doctrina illa nunc ita consensu fere omnium auctorum approbata et per documenta ecclesiastica confirmata est ut dici possit *communis* et *certa*, immo *unice vera* (2).

PARS II. REIICITUR POTESTAS DIRECTA ECCLESIAE IN STATUM

Claritatis gratia, duplex statuetur *Thesis* ad vindicandam veram notionem potestatis Ecclesiae respectu societatis civilis fidelium, quarum prima potestatem Ecclesiae *directam* in Statum confutabit, altera *indirectam* vindicabit, simul reiiciens theoriam *perfectae independentiae* Status ab Ecclesia et theoriam potestatis mere *directivae*.

Thesis I. — *Ecclesia quae in res spirituales potestatem directam habet, nullam habet potestatem in res mere temporales, i. e. in res temporales et sub respectu finis temporalis, nec potestatem directam exercet in res temporales etiam sub respectu finis spiritualis* (3).

(1) Bellarm. De R. Pontif. V. c. 6.
(2) Ita Wernz. I, n. 10 et not. 33.
(3) Moulart, l. II, c. I, art. 2.

Praenot. Magni interest tria in antecessum praemittere. 1) Memoriae revocandus est quisnam finis utrique societati, Ecclesiae et Statui, ab ipso Deo sit praestitutus. Ex *revelatione* scimus Ecclesiae finem esse aeternam hominis salutem, non felicitatem eius temporalem; haec felicitas temporalis, ut per ipsam naturalem rationem scimus, est finis societatis civilis. Societas civilis et ipsa a Deo est, cum « insitum homini natura (sit), ut in civili societate vivat »; in societate autem auctoritas necessaria est, qua regatur: « quae, non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso (oritur) auctore » (1).

2) Quo sensu intellegantur voces illae, bona *temporalia* vel *spiritualia*, in praenotando B huius Quaestionis II (supra p. 112) dictum fuit: sensu quidem *finali*, seu *destinationis*, non *ontologico*, seu ~~ob~~ *naturam* ipsorum *materialem* aut *spiritualem*.

3) Potestas non ~~praecise~~ dicitur *directa* ~~ea~~ quae *rem* ipsam *tangit*, *indirecta* quae *non rem* ipsam sed *aliam* cum prima coniunctam: sic in *Petrum* directa potestas exerceretur, si *ipsum* in carcerem detruderem, indirecta, si *Paulum* incarcerarem qui labore suo *Petro* sustentationem procurabat. At potestas quae *in ~~ipsam~~ rem* exercetur *directa* vel *indirecta* dici debebit, prout res *de se, propter se, ex natura* vel saltem generali *destinatione* sua, potestati subiicietur vel *non*. Sic directam potestatem habeo in rem Pauli quam emi, indirectam in pecuniam vel rem Pauli quae mihi adiudicatur in reparationem damni quod mihi Paulus forte intulit. Hoc modo intelligitur a Suarezio potestas directa et indirecta, et verissime, ut videtur (2).

I. — **Probatur thesis, spectato fine societatis ecclesiasticae. I Pars.** — Societas perfecta ea omnia et sola potest quae ad finem suum attingendum ipsi sunt necessaria, seu nihil potest nisi in ordine ad finem suum. Iamvero res spi-

(1) Encycl. « Immortale Dei », § Non est magni (ed. Vatic. t. V. p. 120). Cf. Praenot. p. 19, 20.

(2) Defens. fidei l. III, c. 5, n. 2.

rituales ad finem Ecclesiae attingendum sunt necessariae, seu ad finem Ecclesiae ordinantur; ergo in eas Ecclesia directe et per se auctoritatem habet. Hoc ceterum ibi tantum in memoriam revocatur, cum in Quaestione I. satis fuerit demonstratum.

II. Pars. — Res *mere temporales*, i. e. res temporales *quatenus* ad finem temporalem ordinantur, non habent ordinem ad finem Ecclesiae; cum ad vitam aeternam consequendam bona temporalia et finis temporalis indifferenter se habeant; ergo extra ecclesiasticae potestatis ambitum versantur. Aliis verbis eadem res exprimi potest: actiones hominum quae ad bona temporalia conservanda vel augenda diriguntur, seu ad finem temporalem, non pertinent ad finem Ecclesiae, nec proinde ad eius potestatem (1).

Ceterum *gratia naturam* non tollit, sed perficit, unde gratuito prorsus supponeretur Ecclesia tollere potestatem naturalem societatis civilis quae a Deo ordinata est, quamque Christus ipse agnovit et observari voluit.

III. Pars. — Res *temporales*, etiam quando *respectum* habent ad *finem spiritualem* (vel ita intime iunguntur cum re spirituali ut actio in rem spiritualem exercita in ipsas influat), manent tamen *de se* et *per se* ordinatae ad finem temporalem, qui finis est extra ambitum potestatis ecclesiasticae. Unde Ecclesia eas attingit « non *per se* et *propter se* sed quasi *indirecte* et *propter aliud* » (2). Sic gubernatio Principis temporalis in se spectata, est omnino extra ambitum potestatis Ecclesiae; si Ecclesiae aliquid in eam poterit, non *directe* hoc poterit, quasi ad ipsam pertineret suprema iurisdictio in gubernia, sed solum quando ex modo gubernandi Principis damnum resultat pro Ecclesia: tunc enim interventus eius necessarius erit et in potestatem Principis influxum exercebit. Hanc autem potestatem non attingit quatenus in ambitu suo proprias actiones exercet, sed quatenus *nocet* Ecclesiae ob abusus et excessus.

(1) Cf. Praenot. p. 111, 112. Cf. p. 19.
(2) Suar. Def. fid. l. III, c. 5, n. 2.

Clarior fiet res per exempla ex diversis casibus desumpta. *a*) Qando agitur de re *stricto sensu mixta,* potest fieri ut determinatio sumpta per aliquam societatem influat in totam rem, ita ut altera societas impediatur decernere de ea; v. g, determinatio quaedam de matrimonio influxum necessarium habebit in hereditariam successionem. In hoc casu pertinet ad societatem superiorem decernere; at exercendo potestatem in respectum spiritualem, *indirecte* et de *consequenti tantum* attingit respectum temporalem.

b) Si res *mixta per accidens* sumatur, v. g. contractus iuramento firmatus: in contractum ipsum Status est competens; in iuramentum, Ecclesia. Potest Status libere decernere, ubi valor iuramenti non est in quaestione; at nequit contractum validum dissolvere, quod esset iuramentum tangere. E contra Ecclesia urgens iuramenti impletionem, ipso facto tangit contractum, at *indirecte* et *de consequenti* ob adiectum iuramentum.

c) Sunt tandem casus in quibus res non videtur dicenda *mixta*, quia *in se* ipsa nullum elementum vel respectum spirituale includere videtur (et hac de causa, vitavimus demonstrationem conficere, quae considerationi rei *mixtae* inniteretur). Spectemus v. g. bona temporalia alicuius fidelis: is quidem est subditus Ecclesiae, at simul est bonorum suorum dominus, et cum haec bona ad temporalem felicitatem de se ordinentur, ad potestatem socialem respectum habent quae in ea taxas imponere aliave de eis decernere poterit. Si tamen Ecclesia indiguerit parte illorum bonorum ob suas necessitates vel in poenam delicti aliquam mulctam pecuniariam imposuerit, subtrahetur quidem pars vel forte totalitas bonorum potestati Status; in ea autem bona *indirecte* tantum exercebitur ecclesiastica potestas, nam *directe* ipsum tangit fidelem qui, vel ob necessarium adiutorium Ecclesiae, vel in sui delicti poenam, pecuniam suam dare tenebitur.

II.ª Probatio ex S. Scriptura et magisterio ecclesiastico. Si nunc gradum facimus ad probationes ex S. Scriptura et magisterio ecclesiastico desumptas, non ita distincte e-

clare varia membra thesis expressa inveniemus, bene tamen distinctionem inter duas potestates de se *independentes* et in sua sphaera *propria suprema* auctoritate gaudentes: Papa in ambitu suae potestatis supremus declaratur, Rex in suo: unde saltem negata invenitur haec universalis et suprema potestas Ecclesiae in res temporales.

Probatio ex S. Scriptura inde apte eruitur, quod verba Christi nunquam potestatem directam in regna exprimunt: quae enim verba omnimodam et absolutam potestatem continere viderentur, ex contextu intra limites auctoritatis spiritualis reducuntur. Dixit quidem Christus Petro: « Quodcumque ligaveris.... quodcumque solveris etc. », sed antea dixerat: « Tibi dabo claves regni caelorum »: non ergo promisit Christus Petro claves regni *terreni*, ac proinde non promisit temporale dominium vel iurisdictionem *temporalem directam*, sed *spiritualem* potestatem. Dixit adhuc Christus, loquens Apostolis: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Ergone omnem potestatem eis transmisit? Videamus ad quid eos mittat: « Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (1), quae certe verba non de regno *temporali*, sed de *spirituali* constituendo sunt intellegenda, nec de potestate in regna terrena, sed in « regnum coelorum », i. e. in Ecclesiam.

Haec confirmavit Christus dicens Pilato: « Regnum meum non est de hoc mundo » (Ioan. XVIII, 36). Et recte concludit Suarez: « In nullo autem alio loco indicavit Christus se dare temporale dominium aut regnum proprium directum Petro vel Ecclesiae suae, neque etiam ecclesiastica traditio hoc ostendit, sed potius oppositum » quod ipse ex Augustino, Hilario et aliis breviter confirmat (2).

Probatio ex documentis magisterii ecclesiastici. — Saepe RR. Pontifices suis assertionibus potestatem directam in res temporales a se abnuerunt, agnoscentes potestatem

(1) Matt. XXVIII, 18 sq.
(2) Suar., Def. fid. cath. l. III, c. 5, n; 14, 16.

temporalem in suo ambitu supremam. Sufficiat ibi textus quosdam afferre, cum plures sint allegandi in Thesi sequenti vel ut probetur, vel ut ab impugnationibus defendatur. Sic Gelasius I (492-496) asserit « duo esse quibus principaliter mundus regitur, auctoritas Sacra Pontificum et regalis potestas » (1). Nicolaus I (858-867) alloquens Michaelem Imperatorem: Postquam Christus venit, inquit, simul Rex et Pontifex, « ultra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam.... Christus Iesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit » (2). Et Innocentius III in locis infra magis evolvendis: « Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (Regem) spectat iudicium » (3), et alibi Regem dicit « in temporalibus praecellere in ditione sua », « in carnalibus praeesse » (4).

Eamdem sententiam brevi post a Doctore Angelico his terminis expressam invenimus: « In his quae ad salutem animae pertinent...., magis est obediendum potestati spirituali quam saeculari, in his autem quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari quam spirituali » (5).

Recenter vero in Encyclicis « Immortale Dei » et « Sapientiae christianae », Leo XIII, describens relationes inter Statum et Ecclesiam, dicebat: « Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem.... Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus continentur terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos: unde aliquis velut orbis circumscribitur in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur » (6).

(1) Migne, P. L. LIX, 42.

(2) Denz.-Bann. n. 333.

(3) C. Novit 13, De iudic. (II, 1).

(4) C. Solitae 6, De M. et O. (I, 33).

(5) In II Sent. D. 44, q. 2, 3m Cf. Herg.-Hollw. n. 54.

(6) Encycl. « Immortale Dei » (ed. Vatic. t. V, p. 127) Cf. « Sapientiae christ. » § Qua posita.

Concludere ergo liceat cum verbis duriusculis at sane veris Cardinalis Turrecremata: « Mirum est, quod Pontifices loquantur modeste de potestate iis data et quidam doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt, adulando eos quasi aequiparare Deo » (1).

III. — **Confirmatur** thesis ex eo quod potestas directa Ecclesiae *a*) *necessaria non est*, *b*) quin et potius *nociva*, immo *c*) *consequentias* non parum *absonas* secum trahit, id quod egregie ostendit Suarezius (2).

a) *Necessaria* non est: nam « ad unitatem et regimen pacificum Ecclesiae sufficit debita subordinatio quae esse debet inter potestatem temporalem et spiritualem, quam exemplo corporis et spiritus optime declaravit S. Greg. Nazianz. (Orat. XVIII = c. 6, Dist. X) (3) » ; et infra (n. 6): « Sufficit eminentia (ut sic dicam) potestatis spiritualis, ratione cuius indirecte habet efficaciam supra temporalia ».

b) Potius *nociva* evaderet. Rationes enim cur Christus non sibi assumpsit temporalem iurisdictionem, eaedem, immo multo maiores sunt ut suo Vicario in terris eam non communicaverit. Talis enim potestas implicat hominem negotiis saecularibus quae maxime a spiritualibus avertunt; insuper moraliter impossibile est unum hominem sufficere utrique ponderi universalis gubernationis (4).

Sed, quod peius est, noceret sine fructu. Si enim Ecclesia nil sibi retinet talis potestatis, ad quid inservit; si sibi retinet, ergo potest *semper pro lubito suo* saltem *valide*, quamvis forte *illicite*, reges deponere, iudicia civilia exercere, quod asserere « non solum odiosum est et Regum animos perturbare potest non sine causa, verum etiam est per se incredibile, quia est contra universalem pacem Ecclesiae et contra universalem ac perpetuum usum eius (5). »

(1) Apud Card. Hergenr. p. 421, not. 1.
(2) De Legibus, l. III, c. 6; Defens. fid. cath. l. III, c. 5.
(3) Suar., De Leg. l. c. n. 5.
(4) Suar. Defens. l. III, c. 5, praes. n. 17-18.
(5) Suar., Def. fid. ib., n. 20-21.

c) *nec contradictione vacaret* illa theoria. Princeps enim *infidelis*, qui proinde totaliter *independens* ab Ecclesia dicendus est, si quando convertetur, amittet *supremam* suam et independentem potestatem; quid magis contrarium notissimo illi carmini ab Ecclesia recepto « Non eripit mortalia qui regna dat coelestia » (1)?

Scholion. De habitudine societatis civilis ad religionem.

Pluries iam in decursu harum Quaestionum ostendimus Statum et Ecclesiam, eo quod *proprium finem* habeant, *ambitum* etiam seu *sphaeram propriam* potestatis habere, et ex ipsa Thesi I apparet, non solum Ecclesiam in sua sphaera prorsus independentem a Statu esse, sed et ipsum Statum independentia in sua sphaera gaudere: nullam enim potestatem exercet Ecclesia in res temporales quatenus tales sunt, i. e. quatenus ad felicitatem temporalem subditorum, qui est finis proprius Status, ordinantur; immo, si quando rei temporali aliquis respectus spiritualis immisceatur, non competere Ecclesiae *directam* potestatem in illam rem.

Indene sequitur Statum posse *atheismum* vel *indifferentismum* erga religionem profiteri? Nequaquam: duplici enim ratione ligatur ad aliqua officia erga ipsam agnoscenda et observanda: 1°) quidem, propter dependentiam a Deo; 2°) ad ipsum finem suum rite procurandum.

I. Ratio (2). — Contra asserta *Naturalismi* et falsi *Liberalismi*, nostris diebus tam late diffusi, dicimus: sicut homo

(1) Sedulius, Carmen in festo ss. Innoc.; Suar. l. c. n. 21; De Legibus, l. III, c. 5 et c. 6, n. 6.

(2) *Naturalismus politicus purus* declarat societatem civilem omni prorsus regulae religiosae subtractam. « Hoc systema est verus *atheismus practicus* et *socialis:* est negatio socialis Dei et eius legis ». (Moulart, l'Eglise et l'Etat, l. I, sect. II, c. III, p. 121). *Naturalismus politicus mitigatus* non vult Statum de religione revelata, si qua est, sollicitum esse; contentus esse potest religionem naturalem curare. *Liberalismus christianus* principii instar statuit, *separationem Ecclesiae* a *Statu*, quamvis *theoretice* malam, *practice* sem-

est *a Deo* et proinde *Deum colere* debet, sic *societas* ipsa est *a Deo,* non tantum quatenus hominibus constat qui sunt Dei creaturae, sed quatenus et ipsa societas originem habet a Deo qui eam condidit et ordinavit (1): unde et ipsa debet *Deo cultum* reddere. « Natura et ratio » ait Leo XIII, « quae iubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus et quod, ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate quam singuli; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit » (2).

Quamnam autem religionem profitebitur societas? religionem *in genere?* religionem quamlibet *pro lubitu suo?* Profecto religionem colere debebit quam Deus ipse iusserit nec aliam; unde prosequitur Leo XIII: « Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam *quisque maluerit,* sed quam *Deus iusserit,* quamque *certis minimeque dubitandis indiciis unam* ex omnibus *veram* esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abii cere, aut asciscere de *pluribus generibus* indifferenter *quod libeat;* omninoque debent *eum,* in colendo numine, *morem* usurpare modumque, quo *coli* se *Deus* ipse demonstravit *velle* » (3). Talis enim abstractio ab ordine supernaturali falsa

per meliorem esse solutionem. Quos errores Pius IX in Encycl. « Quanta cura » (Denz.-Bann. n. 1689-90); Leo XIII in Encycl. « Immortale Dei » et « Libertas » (20 Iunii 1888) confutaverunt. Cf. Moulart, l. c. Bargilliat, I, n. 25 sq. ubi optime collegit et disposuit excerpta ex variis Encycl. Leo. XIII.

(1) Cf. supra p. 14, 15.

(2) Encycl. « Immortale Dei », § Hac ratione. Cf. « Libertas » 20 Iunii 1888, § Eadem libertas.

(3) Encycl. « Immortale », l. c. Falsum prorsus est dicere: Status debet esse « *aconfessionale* », quia nequit discernere quaenam religio sit vera

est et, data revelatione seu in ordine actuali Providentiae, impossibilis et reiicienda.

Haec obligatio, ut patet, stringit ipsos Principes omnesque quocumque modo auctoritati publicae praepositos, ad quos, ratione muneris, pertinet officia Status implere. Hinc SS. Patres gravissimis verbis Principibus inculcant necessitatem qua tenentur religioni favere. Audiatur S. Augustinus: « Felices eos (Reges) dicimus, si iuste imperant... si suam potestatem, ad Dei cultum maxime dilatandum, Maiestati eius famulam faciunt » (1). Audiatur S. Leo M. Leonem Imperatorem alloquens: « Agnosce igitur, Auguste et Venerabilis Imperator, in quantum totius mundi praesidium divina sis providentia praeparatus et quid auxilii matri tuae Ecclesiae debeas, quae te filio maxime gloriatur » (2).

Hinc Medio Aevo semper habita fuit *religio* tanquam *societatis fundamentum* et necessarium *fulcrum, religionis* vero *honor* ac *defensio* ut *primum* et *gravissimum* Principis *officium*, qui eam *profiteri, defendere, promovere* debebat (3).

Hinc tandem merito damnatae sunt in Syllabo propositiones plures quae omnimodam independentiam et autonomiam Status vindicant (4); merito inculcatum est per Encycl. « Quanta cura » Episcopis totius orbis officium docendi fideles gravia potestatis civilis officia erga religionem, necnon maxima bona quae ex praesidio religioni collato ipsi societati civili exurgant.

II. Ratio. — Ipse finis Societatis civilis requirit ut religioni favorem praestet. Ad quod evincendum oportet illum

Potest enim, per illum qui auctoritatem gerit, aeque bene ac ipsi subditi id praestare; de quibus subditis eadem *impossibilitas* praetendi posset. Debet *Status*, sicut et *privati*, verae religioni adhaerere, ergo *ius* habet (quin et ordinarie *officium*) eam *profitendi*. Hoc praesertim de Statu catholico valet qui *securus* est se veram religionem habere. (Cf. Hergenr.-Hollw, n. 136 sq.).

(1) De Civit. Dei, l. V, c. 24. Migne, P. L. XLI, 170, 171.

(2) S. Leo. M. epist. 164. c. 1. Migne P. L. LIV, 1148. Cf. alios textus apud Tarqui. n. 61.

(3) Card. Hergenröther, I, p. 5-7.

(4) Prop. 57; 77–80.

finem exacte determinare, et recte notat Tarquini (n. 51) inepte dari ut *munus proprium* societatis civilis, quod *iura civium moderari* et *tueri* debeat: ex qua definitione si quis proficiscetur, per *excessum* et per *defectum* peccare poterit: per *excessum,* nam « *iura* » indeterminate dicens insinuat etiam *iura religiosa,* et sic quamdam clandestinam viam aperit ingerentiae Status, sub praetextu tuendi iura religiosa sociorum contra ipsos magistratus ecclesiasticos, v. g. si Status sibi vindicaret Appellationes ab abusu; per *defectum,* nam Status *non tantum moderari* et *tueri* iura debet, sed *insuper* conari *directe* et *efficaciter* temporalem subditorum felicitatem *procurare.* Et praecise ad hanc felicitatis procurationem pertinet *cura religionis* ac *probitatis,* quae in hac definitione ne insinuatur quidem. Et revera ita ad bonum publicum necessariae sunt probitas et religio ut, hisce neglectis, illud etiam pessumeat: « quandoquidem religione ac probitate exulante, ipsa quoque humana fides, qua societatis foedus colligatur, exulet necesse est » (1).

Ceterum societas civilis procurare debet temporalem felicitatem civium *non utcumque, non absolute* et *simpliciter,* sed quatenus est *hominis propria:* haec autem ordinata esse debet ad vitam aeternam, adeoque respectum habere ad religionem. Societas ergo adiuvet hominem oportet, *qualis* est, cum suis officiis et legibus quibus regitur; quas ergo cognoscere, quibus informari et imbui debet, ita saltem ut eis nunquam positive adversetur (2).

Adde quod *rectus ordo rerum* postulat ut *societas civilis Ecclesiam adiuvet.* Nam ubi duae societates existunt, quarum membra sunt communia, una bonum altius, altera bonum inferius prosequens, inferior non tantum erga superiorem leges iustitiae et caritatis observare tenetur, sed etiam, quantum finis proprius permittit, superiorem adiuvare (3). Prae-

(1) Tarquini, n. 51.

(2) Cf. initium Encycl. « Sapientiae christianae », 10 Ianu. 1890, et § Profecto et Ecclesia; Hergenr.-Hollw. L. I, Sect. II, § 9. Moulart, l. c. p. 136.

(3) Cf. supra p. 40; Biederlack, n. 34.

sertim cum *societas civilis,* spectata ut *collectio Catholicorum,* sit collectio *membrorum Ecclesiae* et, aliquo vero sensu, etiam ipsa *membrum Ecclesiae;* membra autem ad finem totius corporis indifferenter se habere nequeunt, at ipsi inservire debent (1).

Quomodo autem huiusmodi auxilium conferre debebit societas civilis? Cum *debita ordinatione.* Societatis enim *superioris* est ordinare quae ad finem proprium spectant, *inferioris* vero approbare et ad executionem cooperari, quatenus debet et potest: sic ordo servatur; secus omnia miscentur et facile Societas inferior iura superioris sibi usurpat (qui fuit error Iosephinistarum, qui, ex utilitate religionis pro Statu, concludebant ad omnimodam Status ingerentiam necnon et supremam in res religiosas). E contra « ita est de genuina societatis civilis natura sentiendum, ut directe quidem sola felicitatis temporalis cura ad eam pertineat, indirecte autem etiam probitatis ac religionis defendendae officium; ita tamen ut dependenter ab Ecclesia id fiat, quippe quae ea Societas est, cui religionis ac probitatis cura directe est demandata » (2).

In praxi officia potestatis civilis erga religionem ad haec praecipue extenduntur: propagationem regni Dei adiuvare, subditis leges dare conformes divinae legi per Ecclesiam annuntiatae, illos ad virtutem et proinde ad obsequium religionis informare, Ecclesiae contra eius adversarios protectionem impartiri, omnem conatum hostilem in eam reprimere, fidem christianam et Ecclesiam, ubicumque impugnantur, defendere (3).

Effectus huius concordiae. — Illius mutui auxilii mirabiles effectus pro utraque societate graphice describit Leo XIII in Encycl. « Immortale Dei » (praesertim § Fuit aliquando tempus...) Et re vera ex auxilio quod Status Ecclesiae praestat, haec mirum in modum influxum suum salutarem in

(1) Tarqui. n. 61.
(2) Tarq. n. 51.
(3) Hammerstein, L. I, P. II, § 4.

omnes suos filios extendere valet, institutiones suas plene et perfecte evolvere; et quamvis hac protectione non absolute egeat, ut luculenter probant tria priora cruentae persecutionis saecula, nihilominus status ille anomalus est dicendus.

Vicissim Ecclesia per ipsum suum influxum in membra societatis civilis multis modis ad bonum temporale et publicum confert, docens reverentiam erga auctoritatem, obedientiam non externam tantum sed et internam, simul autem Superiores moderationem in praecipiendo edocens, delicta minuens, matrimonia sanctificans, scientias, artes, verum progressum fovens; cives inter se et cum Principibus ligans fortissimo omnium ligamine, nempe unius et eiusdem religionis; quae unitas religionis quantum ad bonum publicum verumque progressum, quantum ad pacem et socialem prosperitatem conferat, et e contra quot mala e religiosis dissensionibus oriantur, nemo est qui nesciat, et ex historia luculentissime patet. Neque tacendus est supernaturalis quidem et invisibilis, at efficacissimus influxus, qui corda perfundens ea unanimiter ad omne bonum movet (1).

Nil e contra funestius quam discordia inter utramque potestatem, cuius lugendos effectus commemorat et deplorat Leo XIII in praedicta Encycl. « Immortale Dei ». Quod si Status non iam odium nutrit et persecutionem contra religionem movet, sed « *indifferentismum* » profitetur, singulorum Catholicorum obligationes quodam modo augentur, ut abstentioni gubernii suppleatur. De his sermonem faciemus post Thesim II, in Scholio III.

(1) Herg.-Hollw. n. 72 sq. necnon n. 136. Advertit ille auctor quam iniuste Hinschius asserat Ecclesiam catholicam quasi « ex principio » et a priori opponi Statui. Ecclesia enim nec Statum ignorat nec ipsi nocet: duae potestates a Deo sunt, in eosdem subditos exercentur, mutuum sibi auxilium praestare debent; Deus, pacis auctor, nequit bellum et dissidia inter eas, ut normalem statum, intendere. Sed haec sunt Protestantium praeiudicia, quibus abrepti 1) Ecclesiam catholicam veram Christi Ecclesiam negant et 2) dependentiam omnimodam societatis ecclesiasticae ad civilem asserere debuere.

Obiectiones. — Si Principes impellant homines ad obediendum Ecclesiae, inde enascitur perturbatio publica; multi ab Ecclesia alienantur; duplici mensura et pondere utitur Ecclesia quae pro se exigit protectionem quam heterodoxis negat, etc. etc.. His facile respondetur: 1) Principes hoc facient, quatenus *possibile* est, unde si ob circumstantias infaustas, ex directo adiutorio Ecclesiae praestito timenda esset perturbatio, illud omitti poterit; si tolerantia quaedam requiratur, haec permitti; nunquam autem id approbare poterunt quod bono Ecclesiae contrariatur (1).

2) Incommoda quaedam, praesertim si ex malitia hominum oriuntur, non debent bona et utilitates maiores impedire: iamvero auxilium a Statu religioni praestitum plurimos adiuvat ut in via salutis se contineant. Quod iam notabat S. Augustinus (Epist. 93, alias 48, ad Vincentium; Migne, P. L. XXXIII, 321 sq.) (2).

3) Tertia tandem obiectio ex illa confusione falsi Liberalismi oritur quae iura aequalia errori et veritati concedit. Quae *in praxi tolerari* possunt, non debent in *verum ius* converti, quasi verae religionis et sectarum eadem essent iura.

PARS III. STATUITUR POTESTAS INDIRECTA ECCLESIAE IN STATUM

Thesis II. — *In rebus temporalibus quae respectum habent ad finem ~~temporalem~~, Status non est ab Ecclesia absolute independens; — at vindicanda est Ecclesiae in has res potestas non directiva tantum, — sed etiam indirecta.*

Status quaestionis. — In hac Thesi, ultra positionem Scholii praecedentis procedimus: ibi enim obligationem *latam* et *indeterminatam* Status asserebamus favendi religioni Eccle-

(1) Cf. « Immortale Dei », § Haec quidem sunt.
(2) Cf. Encycl. « Immortale » l. c.

siamque protegendi; hic autem obligationem *iuridicam* statuimus, quae scilicet potestatem civilem vere coram Deo et in conscientia liget iusque strictum Ecclesiae conferat.

Quamvis enim unaquaeque societas in sua sphaera independens sit, impossibile est ut aliquando inter eas conflictus non oriantur, eo quod in eosdem subditos potestatem suam exerant; qui conflictus non erunt de rebus mere spiritualibus quae ab Ecclesia unice pendent, nec de rebus temporalibus sub respectu finis temporalis, quae exclusive ad Statum pertinent, sed de temporalibus sub respectu finis ~~temporalis~~ spiritualis.

De his ergo oritur quaestio: an in controversiis forte ortis una societas alteri praestare debeat, et utra? Cui quaestioni per praesentem Thesim respondetur, in qua successive confutatis fautoribus sive 1) perfectae independentiae Status, sive 2) potestatis tantum directivae Ecclesiae in Statum, statuitur systema potestatis indirectae. Quod postquam demonstratum fuerit, operae pretium erit applicationes varias, seu extensionem huius potestatis ostendere, certa ab incertis secernendo, de his vero quae libere inter assertores potestatis indirectae disputantur, varias sententias ostendendo, et ubi fieri poterit, quae aptior videatur indigitando.

Thesis probabitur 1) ex natura utriusque societatis ad invicem considerata; 2) ex argumentis scripturisticis et traditionalibus; 3) ex magisterio ecclesiastico; tandem 4) ex praxi Ecclesiae.

Probatio 1ª, ex natura utriusque societatis ad invicem spectata.

1) Si quando *incompatibiles* sunt *obligationes* iisdem subditis a duabus societatibus impositae, non potest iuste utraque societas exigere ut his *simul satisfaciant.*

2) Optandum quidem est ut *amicabilis conventio* inter duas societates interveniat; at si una recusaverit, manet *conflictus,* qui solvi non potest nisi per *vim physicam* (bellum), vel per *iniunctionem auctoritativam* alterutrius societatis, cui altera moraliter teneatur se submittere.

3) *Bellum* quidem poterit esse *unicum medium* controversiam dirimendi inter duas societates *pares* eiusdem finis; repugnat autem Dei Providentiae, quae omnia sapienter disposuit, aliud non existere medium quo conflictus dirimatur inter duas societates *ab ipso Deo volitas,* unam ordinis naturalis, alteram ordinis supernaturalis et *directe* per revelationem *ab ipso institutam,* quaeque alteri *fine* suo longissime *praestans, viribus* tamen physicis prorsus *inferior* ei invenitur.

4) Manet ergo tanquam unica via conflictus dirimendi auctoritativa iniunctio alterutrius. Nec dubium esse potest quin auctoritas dirimendi sit penes Ecclesiam, utpote fine et natura sua Statui longe praestantem. Hinc constat Statum ab Ecclesia in his rebus absolute independentem non esse (quae erat 1ª pars Thesis).

Nec sufficit potestas *mere directiva* Ecclesiae (2ª pars). Talis enim inefficax erit, nisi ad *coercitionem* extendatur, ubi alia media non sufficient; id quod certe, ob humanam infirmitatem et malitiam, non raro accidet, teste experientia. Nisi enim tunc Ecclesia rebelles et contumaces coercere possit, condemnabitur ad subeundas usurpationes et abusus potestatis. Quod ad hoc *practice aliquando* (vel etiam *saepe*) reducatur, ex timore ne per usum mediorum coercitionis peiorem adhuc faciat suam condicionem, esto; quod *semper* ad hoc reducatur immo etiam *theoretice* et spectatis principiis: talis nequit esse voluntas Christi: persecutiones quidem et violentias contra Ecclesiam permittit, servitutem autem eius non vult. « Nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae », ut S. Anselmus asserebat, scribens ad Balduinum, Hierosolymae Regem (1).

Probatio 2.ª ex S. Scriptura et Traditione.

I. Ultro fatemur argumenta scripturistica potius probationem *innuere* quam *clare* et *apodictice constituere.*

Apostoli in Concilium Sacerdotum tracti, qui eos a

(1) Epist., l. IV, epis. 8 (alias 9) Migne, P. L. CLIX, 206.

praedicatione fidei coercere volunt, sub praetextu perturbationis et tumultuum qui inde timebantur (« Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius? »), reponunt: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus » (1), quasi dicerent: ubi de regno Dei causa est, quid referunt mala temporalia forte secutura? « Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui » (2). Potestas nostra ad hoc etiam extenditur ut mala permittamus et temporalis potestatis prohibitiones minime curemus.

Addantur ea quae Christus Dominus Apostolos docuit de necessitate omnes res temporales regno Dei posthabendi, de spernendis persecutionibus et impugnationibus Regum et Principum, quoties de fide praedicanda ageretur (3).

II. *Clarius apud SS. Patres expressa* invenitur haec Ecclesiae potestas, adducta etiam comparatione, apud Theologos postea frequenter usurpata, *corporis* et *spiritus*, ad designandas relationes inter *societatem civilem* et *Ecclesiam*.

Sic S. Chrysostomus: Imperium quod in Ecclesia viget « tanto civili excellentius est, quanto coelum terra; et quantum inter corpus et animam discriminis est, tantum item ab illa hoc distat » (4). S. Gregor. Naz. « At vos quoque (Principes et Praefecti) imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim et nos gerimus: addo et praestantius et perfectius, si quidem aequum videatur spiritum carni, coelestia terrenis cedere » (5). Ivo Carnutensis ad Henricum II, Angliae Regem, scribebat: « Regnum terrenum coelesti regno quod Ecclesiae commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus, nisi regatur ab anima,

(1) Act. V, 28-29.
(2) Act. IV, 20.
(3) Matt. V, 29-30; XVI, 26; XXIV, 9 sq. et passim in Evangeliis.
(4) Homil. XV, in 2 Cor.
(5) Orat. XVII, Migne, P. G. XXXV, 975.

tantum valet terrena potestas, nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina » (1).

Idem apud Theologos Medii Aevi invenire est, ex quibus sufficiat adducere S. Thomam: « Potestas saecularis subditur spirituali, sicut corpus animae, et ideo non est usurpatum iudicium, si spiritualis Praelatus se intromittat de temporalibus quantum ad ea in quibus subditur ei saecularis potestas... » (2). Unde non immerito, Theologi Concilii Constantiensis, excludentes appellationes a iudice ecclesiastico ad temporalem, cum hoc esset appellare a maiore ad minus, concludunt: « Sicut enim se habet spiritus ad corpus, et regio spiritus ad regionem corporis, sic proportionaliter iudex ecclesiasticus ad iudicem terrenum et forum ecclesiasticum ad temporale; sicut dicit Ven. Hugo de S. Victore, et Alexander de Hales, et alii Doctores, et sacri Canones » (3).

Quid ex illa tam trita comparatione *corporis* et *spiritus* (et alia similiter ab antiquis usurpata *solis* et *lunae*) eruere liceat videamus. 1) *Superioritas* quaedam et *praeeminentia ordinis* et *dignitatis* indicatur, quam ceterum nullus ex Christianis negabit; sed insuper 2) *influxus* potestatis ecclesiasticae in civilem quam *illuminat* simul et *informat, docens* eam quis sit verus eius finis, temporalis equidem felicitas, non tamen absolute et simpliciter sed ut est hominis propria, i. e. cum ordinatione ad vitam aeternam, quae ipsa est societatis ecclesiasticae finis immediatus. Nec tantum docet et illuminat Ecclesia, sed et *efficaciter movet* societatem civilem in ordine ad suum finem obtinendum; est quasi *centrum* circa quod *volvitur* societas civilis sicut circa solem luna volvitur. Immo est instar *animae,* quae non solum est principium vitae sine quo corpus mortuum est, sed insuper reprimit, refrenat corpus, ipsum cogit ut contra tendentias et concupiscentias pravas rectae rationi obtemperet, ipsum tandem corrigit et

(1) Epist. 51 (alias 106) Migne, P. L. CLXII, 125.

(2) 2a, 2ae, q. 60, a. 6. 3m.

(3) In Append. Conc. Constanti. n. XXIII ad art. XII. Cf. alia apud Tarq. n. 55.

castigat: sic Ecclesia erga societatem civilem eiusque rectores agit, Reges et Principes reprimens, refrenans et, ubi opus est, corrigens et castigans. Fatendum est non omnes SS. Patres et Doctores has Ecclesiae attributa et potestates ita evolvere; plures tamen eas fusius exponunt; et tandem ex omnium dictis apparet vera *superioritas, dominatio, influxus* Ecclesiae in societatem civilem quae non tantum *independentiam absolutam Status* evertit sed etiam longe ultra potestatem Ecclesiae *mere directivam* extenditur. Nec tamen ex eorum dictis admittere cogimur aliquam directam Ecclesiae potestatem quam expresse non asserunt, quin potius saepe ex ipso contextu vel certe aliis in locis reiiciunt, ut in Thesi I iam ostendimus et clarius patebit ex dicendis de assertionibus RR. Pontificum.

Probatio 3.ª ex magisterio ecclesiastico.

Ad meliorem rei intelligentiam, breviter exponemus adiuncta historica quae occasionem dederunt variis RR. Pontificum responsis. Statim incipiemus ab illa Decretali quae maiorem facessere solet difficultatem quia plures ex ea affirmationem potestatis directae in Statum eruere voluerunt.

I. Bulla « Unam Sanctam ». Occasio historica. — In lucta inter Philippum Pulchrum, Regem Galliae, et Eduardum I, Angliae Regem, uterque ex bonis ecclesiasticis pecuniam sibi usurpavit, quod merito reprobavit Bonifacius VIII: inde irae Regis Galliae, quem cum frustra placare tentasset Pontifex, tandem Bulla « Ausculta, fili » admonuit de subiectione qua erga Papam tenebatur, ut Ecclesiae filius; simul eum urgebat et deprecabatur ut bello finem imponeret. Iubente Rege vel eius indignis consiliariis, Petro Flotte et Guilelmo de Nogaret, Bulla fuit suppressa, destructa eique alia substituta cuius tenor omnino aptus esset ad animos contra Bonifacium excitandos. Rigide enim et superbe in fictitia Bulla declarabat Pontifex: « Scire te volumus quod in spiritualibus et temporalibus nobis subes.... Aliud autem cre-

dentes haereticos reputamus ». Responsum autem huic Bullae, sub nomine Regis, divulgabatur, (quod probabiliter eiusdem auctoris ac supposititia Bulla erat): « Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse.... Secus autem credentes fatuos et dementes reputamus ».

Bonifacius in Consistorio, coram deputatis Episcopatus Galliae, de hac falsa et calumniosa imputatione conquestus est, dicens: « Quadraginta anni sunt quod nos sumus experti in Iure; scimus quod duae sunt potestates ordinatae a Deo. Quis ergo debet credere vel potest, quod tanta fatuitas, tanta insipientia sit vel fuerit in capite nostro. Dicimus quod in nullo volumus usurpare iurisdictionem Regis;... non potest negare Rex, seu quicumque alter fidelis, quin sit nobis subiectus, ratione peccati » (1). Dein in duabus Bullis « Rem non novam » (Sept. 1302) et « Unam Sanctam » (18 Nov. 1302), expressit Pontifex vera principia de relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Summa Bullae. — Potestas ecclesiastica « dignitate et nobilitate » terrenam quamlibet superat. « Temporalem auctoritatem oportet subiici spirituali potestati » et temporalis gladius, tanquam inferior, reducendus est per spiritualem in *suprema* (i. e., ut ex contextu patet et ex Aegidio Romano, ex quo magna ex parte desumpta sunt haec verba (2), in *finem ultimum* omnis humanae creaturae et omnis ordinis humani). Spiritualis potestas « instituere habet et iudicare, si bona non fuerit », temporalem, dum spiritualis inferior a spirituali superiore, haec vero a solo Deo iudicari potest.

Clausula haec est: « Porro subesse R. Pontifici, omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis ». Iam vero, iuxta communem sententiam (3), his verbis hisque solis continetur definitio *ex cathedra*. Sed illa subiectio omnis creaturae R.

(1) Cf. apud Card. Billot, De Eccl. II q. XVIII, § 4; Moulart, n. 218, not. 3.

(2) De eccles. potestate, l. I, c. 3.

(3) Wernz, I, n. 30. Palmieri De R. Pontifice p. 550; Moulart, l. II, c. 2, art. 3 § 3.

Pontifici quae ut dogma fidei imponitur, non est res nova; novitas e contra fuisset, iam tempore Bonifacii VIII, illam impugnare, et nunc post Florentinum et Vaticanum esset haeresis (1). Ex contextu Bullae apparet quidem exigi submissionem R. Pontifici in temporalibus, at verba clausulae quae talem submissionem roborant et confirmant non exprimunt utrum R. Pontifex directam an indirectam auctoritatem exerceat in temporalia.

At difficultatem faciunt termini quidam illius Bullae, qui rite explicandi sunt ut nostrae sententiae contrarii non appareant nec videantur favere systemati potestatis directae. Certe verba: *temporalis auctoritas subiicitur spirituali*, plus quam potestatem directivam indicant, praesertim collatis verbis praecedentibus: « Uterque gladius est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu Regum et militum. sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati ». At non inde cogimur potestatem directam agnoscere, cum per indirectam sufficienter salvetur illa subiectio unius ad alterum.

Maiorem facessit difficultatem vox « *instituere* ». Siquidem plures eam intelligere volunt, quasi sensus esset: *fundare, condere, constituere*. Hoc sensu intellecta restringi deberet ad potestatem quae vi consecrationis Regi datae, R. Pontifex in eum obtinebat. At non bene videtur cum toto contextu quadrare ille sensus, ut ostendit Card. Hergenröther (2): nam agitur de duabus potestatibus quae dicuntur a Deo ipso *ordinari*, quod male diceretur si civilis a spirituali *conderetur, conferretur;* unde aptior videtur altera sententia qua vox *instituere* sumitur pro *docere, admonere*. Nec est argumentum validum contra hanc sententiam quod quidam auctores huius temporis adhibeant vocem *instituere*

(1) Cf. Denz.-Bannw. n. 694, 1826.

(2) Cf. Card. Hergenr. Diss. VI, n. 29 not. 9 ubi complete et solide exponit varias sententias.

sensu *condendi,* nam potius alterum sensum habet apud Aegidium Romanum ex quo, ut dicebamus, magna ex parte desumptus est textus Bullae (1).

Unde tandem concludi licet: asseruntur in hac Bulla duae potestates, inter quas aliqua *necessaria subordinatio* existit, nam *a Deo* sunt et quae a Deo sunt *ordinata* sunt; haec autem subordinatio conformis esse debet ipsi rerum ordini qui est, ut sicut *spiritus materiae,* ita *spiritualis* potestas *materiali* praestet. Unde negatur *independentia* Status, potestas ita descripta *mere directiva* dici nequit, at nullo modo cogimur invenire ibi potestatem *directam,* dum per *indirectam* salvatur textus et aliunde cognoscimus quid sibi potestatis vindicaverit Bonifacius in Reges et Principes.

II. Constitutio « Novit », *Innocentii III* (*c. 13 De iudic. II, 1*). — Si Bulla « Unam Sanctam » aliquam difficultatem contra potestatem *indirectam* facere potest, Const. « Novit » e contra dicit potest *locus classicus* ubi expressa invenitur.

Occasio historica haec est: Ioannes « sine terra », Angliae Rex, accusatus quod Arthurum, nepotem suum, occidisset, citatus est in iudicium a Philippo Augusto, cuius feudatarius erat ratione ducatus Normanniae; cum comparere renueret, Philippus Normanniam manu armata invasit; Ioannes apud Papam conquestus est, quasi Rex Galliae fidem iuratam fregisset, ipsum ante finem *treugae* (seu suspensionis hostilitatum) impugnans. Innocentius III legatos ad Philippum misit, qui respondit se, in materia feudi, a R. Pontifice esse independentem. Is per duplicem epistolam ad Regem et ad Episcopos Galliae suum agendi modum explicavit; ex epistola ad Episcopos excerpta est cap. « Novit ».

Summa Constitutionis. — Ibi apertis verbis declarat Pontifex se nullam sibi potestatem in res *mere temporales* vindicare, at in *peccata; ratione vero peccati* et consequenter ad peccatum, *in* ipsam *rem temporalem;* agebatur enim de controversia circa feudum et interim de lucta suspendenda. « Non (ergo) putet aliquis, quod iurisdictionem (aut potesta-

1) Aegidius Rom., De Eccl. potest., l. I, c. 4. Cf. Palmieri, De R. Pont. p. 550.

tem) illustris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus... Non enim intendimus iudicare de feudo cuius ad ipsum (i. e. Regem) spectat iudicium... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus... Numquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiae non est dubium pertinere, ut rupta pacis foedera reformentur ». Concluditque Pontifex imperans ut vel Rex pacem ineat vel saltem admittat inquisitionem et iudicium per delegatos Papae circa violationem iuramenti ferendum.

III. Constit. « **Per Venerabilem** » (*c. 13, qui filii sint legitimi, IV, 17*). — Petebat vir quidam nobilis ut Innocentius III legitimaret filios quos ex adulterio habuerat et invocabat exemplum legitimationis ab eodem Pontifice concessae filiis quos Philippus Augustus ex secunda uxore habuerat, postquam primam repudiasset sub praetextu invaliditatis matrimonii ob impedimentum affinitatis. Archiepiscopus quidem Remensis sententiam invaliditatis tulerat, Rex bona fide matrimonium contraxerat; at, appellatione interiecta de sententia Episcopi, haec nulla declarata fuerat et Rex prohibitus ne contraheret. Cum autem ipse interim iam contraxisset et prolem suscepisset, ad eius petitionem Innocentius prolem legitimaverat tam propter dubium de valore secundi matrimonii quam ob bonam fidem Regis.

Renuit R. Pontifex accedere petitioni nobilis viri et inter varias rationes quas affert, dicit se in propriis Statibus effectus temporales legitimationis concedere posse; in aliorum regnis an possit dubitans haeret, utrum scilicet praeter spirituales effectus legitimatio a se concessa etiam temporales secum traheret. Principium enim ponit quod « Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat ». Ipse vero Papa quid potest? « Non solum in Ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno iuri praeiudicare velimus » sed, sicut dictum est in Deuteronomio,

cum aliquid fuerit « difficile et ambiguum ». Quae omnia, simul iuncta assertione de potestate Regis propria in temporalibus, certe non sonant aliquam potestatem *directam* at *indirectam* tantum R. Pontificis; limites vero quibus continetur non clare ab Innocentio determinantur.

IV. **Constit. « Venerabilem »** (*c. 34 De electione etc., I, 6*). — In hac Constitutione quae saepe allegatur in materia potestatis indirectae, non praecise habetur assertio huius potestatis, at incidenter tantum de ea est quaestio, immo potius inde desumi posset obiectio quasi R. Pontifex ibi assereret potestatem directam sibi competere: at non ita, nam quae sibi vindicat, ut ex ipso textu apparet, ad conditiones speciales Imperii Romani referenda sunt.

Agebatur enim de controversia inter Ottonem, Brunsvici Ducem, et Philippum, Sueviae Ducem, quem plures Ottoni opponebant ut in Regem Germaniae et dein in Imperatorem eligeretur. Innocentius III, qui prius intervenire noluerat, coactus tandem finem imponere controversiae, Episcopum Praenestinum legatum misit; is Ottonis electionem approbavit, Philippum indignum declarans, de quo vehementer conquesti sunt Philippi fautores, quasi legatus potentiam excessisset, vel ut electorem se gerens, quod ipsi revera non competebat, vel ut iudicem qui iudicasset, una ex partibus (i. e. Philippo), non audita. Respondit Papa legatum suum neque electorem neque iudicem egisse, sed « *denuntiatorem* », eumque, nomine Pontificis, declarasse, Ducem Sueviae indignum esse Regni et Imperii, ut excommunicatum et Ecclesiae infensum. « Sunt enim notoria impedimenta Ducis, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum et persecutio divulgata, quam progenitores eius et ipsi praesumpserunt in Apost. Sedem et alias ecclesias exercere ».

Plura vero in hac Constitutione sibi attribuit Innocentius, quae ipsi tantum ex speciali habitudine Imperii ad S. Sedem competebant: historice enim certum erat a S. Sede fuisse Imperium Occidentale constitutum, in favorem Caroli M. et Regum Francorum, dein ex libera voluntate RR. Pontificum in Reges Germaniae translatum; Imperator debebat

defensorem et advocatum S. Sedis sese praebere, a qua unctionem, consecrationem, coronationem accipiebat. Nil mirum ergo quod R. Pontifex a S. Sede repetat potestatem factam aliquibus Germaniae Principibus eligendi personam Regis, cui postea, ex consuetudine, concedebatur dignitas imperialis; nil mirum quod declaret: « Ius et auctoritas examinandi personam electam in Regem et promovendam ad Imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus et coronamus. Est enim regulariter et generaliter observatum, ut ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat ». Unde non sunt trahenda ad exemplum pro aliis Regibus quae Papa ibi de Rege Germaniae dicat, nisi forte hi Reges a S. Sede ungi et consecrare voluerint, tunc enim de his merito Papa diceret: « Numquid enim, si Principes.... sacrilegum quemcumque vel excommunicatum, in Regem; tyrannum, vel fatuum, haereticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare ac coronare hominem huiusmodi deberemus? Absit omnino! » (1).

Probatio 4°. ex praxi S. Sedis. — Plura tandem sunt facta historica quae ostendunt veram potestatem a RR. Pontificibus in Reges et Imperatores exercitam, quos *excommunicaverunt* vel etiam *deposuerunt,* eorum *subditos* a *fidelitatis iuramento solventes:* nec tantum erga Imperatores ita se gesserunt in quos, ex statim dictis, specialis quaedam potestas ipsis competebat, sed in alios sive quodam modo se vasallos S. Sedis proclamaverint sive non. Sic S. Gregorius VII Boleslaum, Poloniae Regem, excommunicavit et Henricum IV Imperatorem deposuit; Alexander III Fridericum I; Gregorius IX et iterum Innocentius IV in Conc. Lugdun. I. Fridericum II, Clemens VIII excommunicavit Henricum VIII, Regem Angliae, quem Paulus III declaravit regno privatum (15 Aug. 1535); S. Pius V idem fecit contra Elisabeth Reginam, simul solvens subiectos a iuramenti fidelitatis (25 Feb. 1570) (2).

(1) Cap. 34, Friedberg. col. 80. Cf. Card. Hergenr. Diss. IV, n. 11.
(2) Cf. Gosselin, P. II, c. 3, n. 228 sq.

Praeterea alii Reges a R. Pontifice *excommunicati* sunt, ut Philippus I et Philippus Augustus, Reges Galliae, a Greg. VII et Innoc. III.

Immo non desunt *Canones Conciliorum* qui *poenas latae sent. decernunt* contra Principes, qui certorum delictorum rei fierent. Ita Lateranense III (a. 1179) can. 27, a iuramento fidelitatis solvit subditos Principum qui viarum grassatores fierent vel haeresi faverent; Lateranense IV (a. 1215) eamdem poenam statuit contra eos qui a terris suis haereticos non expulerint; quod si insuper expulsioni obstiterint, amittent non tantum usum, sed dominium etiam directum suae potestatis. Conc. Lugdun. I (a. 1245) excommunicat omnes qui Friderico II, Imperatori deposito, obedire pergerent. Conc. Constantiense poenam duorum mensium carceris statuit contra omnes Concilii perturbatores, etiamsi Reges essent vel ipse Imperator. Tandem Tridentinum excommunicat omnes Principes duellum in suis Statibus permittentes, declarans eorum bona, si feudalia, ad feudatorem revertenda, si ecclesiastica, ad Ecclesiam.

Quanquam de quibusdam inter facta nuper allegata, praesertim vero de depositione Principum, poni possit quaestio: 1) quid *directe* attigerit ecclesiastica potestas, ~~v. g.~~ utrum ipsam *potestatem regiam sustulerit,* an tantum *authentice* eam *sublatam declaraverit* et *subditos* a *iuramento fidelitatis solverit* (1); 2) an forte talis potestas Ecclesiae accreverit ex titulo quodam historico; nihilominus ex toto illo complexu factorum et ex poenis spiritualibus et etiam temporalibus in antecessum statutis contra omnes Reges et Principes, patet Ecclesiam sibi potestatem aliquam in eos vindicasse, quae certe plus quam *directiva* est, non tamen *directa* est dicenda, nam semper exercetur *ratione respectus spiritualis* qui in re illa invenitur (2).

(1) De qua quaestione valde disputatur inter auctores et erit quaestio infra.

(2) Cf. supra p.118. Infra ostendetur quomodo etiam hi qui tenent R. Pontificem *deponere* Principes nullam directam potestatem ibi recognoscere teneantur. Ceterum de pluribus factis nulla fit difficultas, v. g. de effectibus

Iamvero nequit admitti Ecclesiam errasse in usu *constanti* et *universali* suae potestatis per tot saecula. Nec de errore argui potest *consensus universalis,* per quinque saltem saecula, omnium Sanctorum, Cardinalium, Episcoporum, canonistarum et iurisperitorum catholicorum qui haec facta (legitima) habuerunt) et approbaverunt. Ecclesia ipsa, audiens et videns talem doctrinam ab omnibus publice doceri, non potuisset non obstare, si eam falsam, S. Scripturae contrariam habuisset: siquidem, ut aiebat S. Felix III ad Acacium Constantinopolitanum: « Error, cui non resistitur, approbatur, et veritas quae minime defensatur, opprimitur » (1). Non enim debemus oblivisci Ecclesiam non esse solum societatem superiorem ac nobiliorem societate civili, cui proinde in casu conflictus ultima decisio competit, at esse *supernaturalem*, a Deo institutam, cui perpetua *S. Spiritus assistentia* est promissa. Quae quidem assistentia non impediet *omnem abusum* vel *culpam* ministrorum Ecclesiae, at permittere nequit ut *abusus* quidam modo *continuo* et *constanti* committantur: hoc enim esset *directe* contra *morum tutelam* Ecclesiae commissam, immo vix non argueret in ea *erroneam* sententiam circa eius potestatem aut illius potestatis limites.

De extensione potestatis indirectae.

Probata sententia quae potestatem indirectam R. Pontifici in res temporales attribuit, inquirendum manet in extensionem et varias applicationes huius potestatis. Alia enim est thesis, aliae applicationes: nec oblivioni tradendum est non agi de applicatione theorematis geometrici vel principii metaphysici, sed de ambitu alicuius potestatis erga homines

pluribus temporalibus qui ad excommunicationem sequuntur : hoc interdum sufficit ad assertionem nostram generalem fundandam, nempe ibi non agi (necessario) de potestate directa.

(1) Haec iuste advertit Bianchi, Della potestà e della politia della Chiesa, l. I, § 20.

exercendae, qui in adiunctis temporum et locorum prope in infinitum diversis positi reperiuntur.

Unde tria prae oculis sunt habenda ut solutio quaestionum difficilium et salebrosarum habeatur: 1) Ecclesiae non competere directam potestatem in res temporales, etiam respectu finis spiritualis annexi, at indirectam tantum; 2) limites talis potestatis determinandos esse ex consideratione necessitatis ad finem obtinendum (1); 3) ubi de factis historicis agitur, videndum esse quid Ecclesia fecerit vi propriae et essentialis potestatis, quid forte amplius potuerit ex consuetudine aut concessione Principum. Hinc facile intellegitur cur facta historica ab omnibus fautoribus potestatis indirectae aeque bene admissa et approbata, aliter et aliter explicentur; nec nimium mirari debemus si etiam auctores dissenserint de altera quaestione, utrum aliquid necesse sit necne Ecclesiae ut finem obtineat. Nec immerito advertit Moulart Ecclesiam, quae potestatis indirectae sententiam retinuit, explicationibus (et forte magis adhuc *applicationibus*) Bellarmini renuntiasse.

Tenet enim Bellarminus Ecclesiam, vi potestatis indirectae leges condere, iudicia exercere, Principes non tantum deponere sed et instituere posse (2).

(1) Cf. supra, p. 22.

(2) De R. Pontifice, l. V, c. 6. « Quantum ad personas, non potest Papa ut Papa ordinarie temporales Principes deponere etiam iusta de causa, eo modo quo deponit Episcopos, i. e. tanquam ordinarius iudex: tamen potest mutare regna et uni auferre atque alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem.

Quantum ad leges, non potest Papa ut Papa ordinarie condere legem civilem vel confirmare aut infirmare leges Principum,... tamen potest omnia illa facere si aliqua lex civilis sit necessaria ad salutem animarum et tamen Reges non velint eam condere, aut si alia sit noxia animarum saluti et tamen Reges non velint eam abrogare...

Quantum ad iudicia, non potest Papa ut Papa ordinarie iudicare de rebus temporalibus... At nihilominus in casu quo id animarum saluti necessarium est, potest Pontifex assumere etiam temporalia iudicia, quando nimirum non est alius qui possit iudicare, ut cum duo Reges supremi contendunt, vel quando qui possunt et debent iudicare non volunt sententiam ferre ».

Alii vero cum Bianchi (1), Card. Hergenröther (2), Hollweck (3), R. Pontifici denegant potestatem Reges deponendi, quae iuxta ipsos esset *directa* quaedam potestas (seu temporalis iurisdictionis). Ut de variis applicationibus aequius ferri possit iudicium, iuvabit de triplici principio solutionis nuper enuntiato aliquid animadvertere.

Ad primum quidem quod attinet, ex his quae supra diximus (p. 118) et pace istorum auctorum, negandum videtur haberi in depositione Regum exercitium potestatis alicuius *directae*. *Quisquis* enim sit *effectus* productus et *terminus* quem *directe* attingit, *indirecta* debet dici potestas quae illum attingit *non ratione sui* sed *propter aliquam aliam rem*. Nec necesse est ut inter utrumque habeatur *connexio* quaedam quasi *physica*, sufficit moralis connexio qua fit ut potestas quae in illam aliam rem exercetur in alium terminum influat.

Quod scite advertit Biederlack (4), adducto exemplo mulctae qua reus plectitur. Nulla enim est necessaria et naturalis connexio inter *delictum* alicuius hominis et *bona* illius (aliunde honeste obtenta); si tamen in *poenam delicti mulcta* ipsi imponitur, *bona* haec temporalia (puta pecuniae aliqua summa), ab eo exiguntur et sumuntur *vi indirectae potestatis*. Item, si Princeps *deponitur* v. g. ob *impietatem*, *scandala* quae efficaciter coerceri nequeunt, ob illius contumaciam, nisi per depositionem a Regno (quod saltem supponi potest), *depositio* illa *vi indirectae* non *directae* potestatis efficietur: dum e contra depositio magistratus civilis per Principem effecta, in virtute potestatis *directae* fit, quia ad ipsum pertinet officia distribuere. Et hoc verum est, sive spectetur potestas regia ut *bonum* Principis quo privari potest, sive consideretur ut *munus, officium* quod ipse amplius exercere non potest absque religionis detrimento.

(1) Della potestà etc.. l. I, § VIII, n. 1.
(2) Kath. Kirche, Diss. VIII, praes. n. 43, 44.
(3) Herg.-Hollw. n. 71.
(4) N. 52, in nota p. 66.

Secundum principium solutionis, ex consideratione necessitatis ad finem Ecclesiae, hanc observationem appellat, quod haec necessitas intelligitur de necessitate ad finem Ecclesiae totaliter obtinendum et quidem mediis ordinariis, non considerato Dei interventu per miracula et media extraordinaria. Unde, si ob infausta locorum vel temporum adiuncta potestas huiusmodi exerceri nequeat, non inde est Ecclesiae deneganda: Deus quidem alio modo supplebit, ob assistentiae perpetuae promissionem; manebit tamen status violentus, nec inde legem et normam ordinariam statuere licebit. Poterit tamen asseri Ecclesiam tali potestate non usuram, quamdiu haec adiuncta durabunt; sicut asserere licet Ecclesiam in regionibus nostris libertatem cultus sectarum acatholicarum non impedituram, quamvis haec mala et reprobanda sit.

Circa facta historica explicanda *duplex* vitandus est *excessus:* 1) ut ex statim dictis apparet, impossibilitas exercitii alicuius potestatis ecclesiasticae, hoc vel illo tempore, praesertim vero diebus nostris, non arguit huius potestatis *non-existentiam:* hinc inutiliter excogitarentur ingeniosae hypotheses ad explicandum quomodo revera olim hanc potestatem exercuerit Ecclesia, quin de usurpatione sit accusanda; 2) at e contra immerito negaretur limites potestatis Ecclesiae per consuetudinem vel Principum concessiones fuisse extensas: unde si qua facultas ex hoc fonte provenerit, inutiliter contra Ecclesiam invidiam et suspiciones moveret, qui huiusmodi facultatem ut ipsi essentialem et propriam vindicaret. Non enim est dissimulanda multo minus neganda veritas, quamvis modestius forte exponenda ubi animos certo offensura cernitur; quae autem dubie, immo aliquando valde improbabiliter ad ecclesiasticam potestatem accedunt, non debemus quasi certa et indubitata proponere (1).

Si nunc accedamus ad varias applicationes a Bellarmino adductas, videmus ipsum vindicare R. Pontifici iura in *personas,* in *leges,* in *iudicia.*

(1) Cf. quae de iure gladii dicta sunt, p. 94.

I. Et de *legibus* quidem loquens, Papae attribuit ius *leges civiles abrogandi* vel etiam *condendi*. Quod quidem Ecclesia aliquam legem civilem *nullam* declaret, quia est contra legem naturalem vel positivam divinam, nulla est difficultas: est authentica quaedam veritatis declaratio, quam etiam Gallicani admittunt. At sicut dispensatio a lege ultra simplicem declarationem extenditur, ita fieri potest ut lex de se omnino nulla et irrita non sit, iudicetur tamen bono animarum nociva; illius est eam *mutare* vel *supprimere* qui eam *condidit*, non Ecclesiae; si autem auctoritas civilis, etiam ab Ecclesia monita, recusaverit, Ecclesia eam *infirmare, abrogare* poterit, quia saluti animarum opponitur. Et videtur omnino haec potestas ad ipsam pertinere ob necessitatem finis sui obtinendi. — An legem *condere* potest, ut vult Bellarminus? Difficilius hoc admittetur, cum fini eius minus necessarium appareat nec efficax videatur. Ad efficaciam enim alicuius legis requiritur influxus constans auctoritatis quae huius executionem per potestatem administrativam et iudiciariam urgeat: at talem influxum constantem quomodo Ecclesia exerceri possit vix apparet; nec certe hoc praestabit Status qui supponitur Ecclesiae infensus, secus ab ea monitus legem bonam pravae substituisset.

II. Potestas *iudicia* civilia *cassandi*, vel vicissim *exercendi*, ubi potestas civilis suo officio non recte fungitur, Ecclesiae iuste vindicare videtur Bellarminus: influxus enim nocivus aliquarum actionum in finem spiritualem exigere poterit ut Ecclesia sibi iudicium de his absumat, quando auctoritas civilis perperam egerit. Nec eadem difficultas est ac pro lege condenda et multo maior efficacia apparet: hic enim de facto transeunte, ibi de potestate agitur quae constantem et quasi perpetuum auctoritatis influxum exigit.

III. Maior est difficultas circa potestatem Ecclesiae in *personas* quae in auctoritate constitutae inveniuntur. Gallicani distinctionem introducunt et perpetuo regerunt inter *personam* Principis et eius *potestatem*. Admittunt quidem Principem christianum, in quantum est *fidelis* aliquis, subie-

ctum esse, sicut privatum quemlibet, auctoritati ecclesiasticae et ab ipsa moneri, corrigi, puniri posse.

Qua autem est *Princeps* et potestatis civilis depositarius, omnino *liber* est ab auctoritate Ecclesiae quae nullam in illo potestatem directam vel indirectam, mediatam vel immediatam exercere potest. Ratio est, quia *utraque potestas*, civilis et pontificia, *immediate a Deo* derivatur, proinde utraque est in suo ordine *perfecte* et *absolute independens* et nullum super se superiorem agnoscit, nisi ipsum Deum. Potest quidem Papa dirigere, admonere, exhortari Principem, ipsique, ubi opus esset, leges divinas et regulas aequitatis in memoriam revocare; at nil ultra. ~~Saltem~~ logice ab ipsorum dictis sequitur, Ecclesiam non posse Principem pro actibus publicis, saltem in foro externo coercere; per universalem tamen Doctorum sententiam claris S. Scripturae et Traditionis ecclesiasticae assertionibus innixam coacti, admiserunt ipsos subiici censuris etiam pro actibus publicis.

Vix autem concesso principio, eius applicationes restringere conantur, ita effectus poenarum ad privatam Principis personam et ad res spirituales coarctantes ut *actus auctoritatis* nec directe nec indirecte, multo minus ipsam auctoritatem attingere valeant. Nequit ullo modo Papa actus auctoritatis civilis, v. g. leges irritare, nec alias substituere, nec exercitium potestatis impedire, nec a fortiori ipsam a Principe tollere. Ad haec enim iurisdictione quadam temporali superiori indigeret, quam ipsi Christus non concessit. Facultas theologica Parisiensis quae a. 1589 prorsus contraria declaraverat, haec principia a. 1663 asseruit, et continentur in Declaratione Cleri Gallicani a. 1682 (1)

At haec prorsus falsa et reiicienda sunt. Eaedem enim rationes et auctoritates quae Ecclesiae iurisdictionem in *privatos*, etiam *in foro externo* attribuunt, militant pro eius potestate in ordine ad *Principes* et *sociales* Principum *actiones:* 1) Deus enim, sicut et privatorum, ita Principum et societatum est Dominus et Rex; 2) Christus in potestate

(1) Cf. Bossuet, Defensio Declar. Cleri Gallic. P. I, l. I, sec. 2, c. 31 sq.

Apostolis tradita huiusmodi distinctionem non introduxit; tandem 3) actiones istae, quando malae et peccaminosae, suapte natura ad Ecclesiae auctoritatem pertinent. Adde quod talis distinctio inter *personam* Principis et *auctoritatem* ipsam admittenda non est: nam auctoritas non est quid abstracti, sed residet in aliqua persona, i. e. in Principe, qui est actuum auctoritatis subiectum et principium responsabile.

Gratuito autem assereretur ecclesiasticam auctoritatem in actus *publicos* peccaminosos ad solum *forum internum* extendi: hoc enim valde inefficax maneret, cum facillimum foret talem auctoritatem declinare, nec difficulter forte invenirentur complacentes vel timidiores confessarii. Insuper gravissimum est Ecclesiae officium invigilandi non in doctrinam tantum sed etiam in mores; hi vero nullo faciliori et peiori modo corrumpuntur quam ex pravo Principum exemplo et ex falsis principiis de actionibus politicis et socialibus, quando impune in praxim deducuntur. Solam interni fori coercitionem omnino inefficacem fore nemo est qui non videat: tristisque probat experientia omnes abusus illos vigere nec posse reprimi, ubi sola haec exerceri potest.

Unde contra Gallicanos firmiter tenendum est *actiones gubernantium*, etiam *sociales* et *politicas, foro externo* Ecclesiae subesse. Haec de earum conformitate aut difformitate cum lege naturali aut divina positiva iudicat, populos et Principes hanc difformitatem aut conformitatem docet, male agentes reprehendit, coercet in foro interno et etiam in foro externo, quatenus ordinem ecclesiasticum perturbant finemque Ecclesiae impediunt, mores corrumpendo.

Principum depositio. — Manet ultima difficultas quae ad ipsam Principum *depositionem* spectat.

I. — *Facta* quidem depositionum ab ecclesiastica auctoritate exercitarum negari nequeunt; nec magis potest catholicus ibi usurpationem agnoscere, sive propter usum frequentem huius potestatis, sive ob persuasionem universalem per plus quam quinque saecula in Ecclesia vigentem

de eius legitimitate ([1]). Non est tamen ibi videndum exercitium potestatis alicuius directae quam ceterum Ecclesiae competere negavimus. Estne ibi agnoscenda potestas quaedam « *historica* », an potius habetur applicatio potestatis *indirectae* quam Ecclesia in res temporales habet ? ([2]).

Bossuet et multi alii fautores potestatis *mere directivae* severe iudicant casus illos interventus RR. Pontificum, in quibus Reges directe vel indirecte sua potestate spoliati sunt, ibique *errorem* vel *usurpationem* saltem *materialem* agnoscere non dubitant. Quae autem Concilia quaedam egerunt, vel Principes deponendo vel poenas statuendo quae a violatoribus certarum legum Ecclesiae ipso facto incurrerentur, explicant per *delegationem* quamdam *auctoritatis Principum* christianorum qui Concilio per se vel per legatos suos intererant.

At talis *delegatio* potestatis *gratis* omnino *asseritur*, nec ullo indicio in Actis Conciliorum se prodit: *gratis* ergo *negari* potest. Acta a Patribus Concilii subscripta sunt et ab eis, sub confirmatione R. Pontificis, auctoritatem suam obtinent. Ceterum nec ad excommunicationem contra Principes statutam (quam plures Gallicani vix admitterent) nec ad solutionem iuramenti fidelitatis, ullam potestatem dare potuissent hi Principes : nemo dat quod non habet. Unde potius ad ingeniosum commentum quam ad historicam realitatem reducenda est illa delegatio.

Qui autem, praeter Gallicanos, potestatem *directivam* asserunt (sensu tamen latiori intellectam, i. e. usque ad *poenas spirituales* extensam), RR. Pontifices ab usurpationis labe iustificantes, depositiones aliasque poenas temporales ab his et a Conciliis latas iure quodam historico explicant ([3]). Audiatur Gosselin : « Poenae temporales quas contra haeresim decernebant (Concilia) iam usu universali constitutae erant, ipsisque Principibus ex consuetudine vel iure publico

([1]) Supra p. 145.
([2]) Cf. supra p. 118.
([3]) Supra p. 118.

ipsorum Statuum applicatae, ita ut Concilia... nihil aliud agerent quam auctoritate sua punctum aliquod iuris confirmare quod iam stabilitum et diu in Europa catholica agnitum erat » (1).

Sed, ut recte advertit Moulart, quamvis systema historicum *acta* RR. Pontificum et Conciliorum *iustificet*, non potest *per se solum adaequatam* suppetere *explicationem declarationum* ipsorum. Appellant enim Papae ad potestatem sibi a Deo traditam, ab Apostolis Petro et Paulo acceptam et si quando alludunt ad leges humanas, clare patet, ex ipso contextu, ipsos suam potestatem in ipsis non fundare, at tantum inde suam sententiam confirmare, ex hoc praecise quod potestatem originis divinae ipsae leges civiles agnoverint et approbaverint (2).

Sic quando Gregorius VII Henricum IV deponit, quasi Petrum Apostolum alloquens, ait: « Ex parte omnipotentis Patris, et Filii et Spiritus Sancti, per tuam potestatem et auctoritatem, Henrico Regi... regni... gubernacula contradico (i. e. adimo) et omnes christianos a vinculo iuramenti quod sibi fecere vel facient, absolvo; et ut nullus ei sicut Regi inserviat, interdico ». Quae sententia lata est a. 1076.

Eamdem potestatem divinam invocat Innocentius IV quando Fridericum II in Concilio Lugdunensi I deponit:

(1) Gosselin, P. II, c. III, n. 204.

(2) Moulart, l. II, c. II, art. 4, § 1. Quod non satis curat Gosselin qui erudite quidem hanc materiam tractans, magis ingeniose quam solide difficultates suo systemati oppositas solvit. Sic, instar cuiusdam principii ponit, omnem assertionem quod *distinctae* et *independentes* sint potestas ecclesiastica et civilis, recta opponi systemati potestatis *indirectae:* unde putat se posse concludere nulla indicia huius potestatis indirectae ante saec. XII inveniri; immo quoties assertionem supradictam apud aliquem R. Pontificem invenerit, textus ubi clare sibi attribuit potestatem deponendi interpretabitur Gosselin pro systemate suo, ne Pontifex sibi contradicere dici debeat.

Immo gratuito supponit Papas et Concilia qui poenas ferunt, depositiones pronuntiant, quando appellant ad potestatem sibi a Deo traditam, non considerare nisi poenas spirituales ; pro poenis temporalibus quod ferunt, eos evidenter supponere, implicite appellare ad *ius publicum* tunc temporis vigens.

« Cum Iesu Christi vices, licet immerito, teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaveris, etc... sententiando privamus etc... » (1).

Nec aliter S. Pius V, condemnans Elisabeth Reginam: « Illius auctoritate suffulti qui nos in hoc supremae iustitiae throno... voluit collocare, de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus praedictam Elisabeth haereticam... quin etiam ipsam praetenso regni praedicti iure... privatam; et item proceres, subditos et populos dicti regni... a iuramento... ac omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito perpetuo absolutos prout nos illos praesentium auctoritate absolvimus; et privamus eamdem Elisabeth praetenso iure regni aliisque omnibus supradictis » (2).

In his omnibus textibus appellant Pontifices unice ad *potestatem* sibi *divinitus traditam*. Hinc apparet quam immerito voluerint fautores systematis historici iura et potestatem illorum fundare in iure *historico*. Quamvis non negemus 1) iura specialia R. Pontificis in Imperatores (cf. quae de Const. « Per venerabilem » supra (p. 141) diximus) vel in Reges qui aliquo modo vasallos S. Sedis sese constituerant, ut erat Rex Angliae; nec 2) plurium regnorum constitutiones quae Regem excommunicatum et in excommunicatione insordescentem vel Ecclesiae inimicum, indignum haberi regno ipsoque posse privari (3). At etiamsi haec ea universalitate quam ipse Gosselin supponit essent asserenda, maneret verum ipsos Pontifices ex *auctoritate Christi* et *Apostolorum* suam repetere potestatem, non aliunde.

Curiosum est legere apud Moulart declarationem Pio IX attributam qua die 20 Iulii 1870 potestatem deponendi Reges prorsus a charismate infallibilitatis discriminans, illam dabat « ut consectarium iuris publici tunc vigentis exercitam, consensu nationum christianarum quae in Papa agnoscebant iudicem supremum Christianitatis ipsumque iudicem

(1) Labb. Conc. t. X, p. 356.
(2) 5 Calend. Maii 1570. Bull. Taurin. t. VII. 811.
(3) Cf. Gosselin n. 245 sq.

in Reges et Principes etiam in temporalibus constituebant ». At de vero textu huius allocutionis non constat, cum in alia versione prorsus contrario modo dicatur: « originem huius potestatis non fuisse *infallibilitatem*, at *auctoritatem pontificiam*... adiuvantibus quidem, uti debebant, iure publico et consensu populorum... Solam malitiam posse haec duo tam diversa confundere: iudicium infallibile Papae de principiis revelatis et ius quod Papae exercuere, vi *iuridicae* eorum *auctoritatis*, quando hoc exigebat bonum commune » (1).

II. — Ut adhuc subtilius penetretur exercitium huius potestatis pontificiae, quaeri debet ultimatim utrum ipsa *personam regiam* attingat eiusque *potestatem directe* tollat, an potius *subditos ipsos*, immo utrum eos *solvat* suis obligationibus an tantum solutos *authentice* declaret.

Certe asseri debet *ligamen obedientiae* subditorum ipsumque *fidelitatis iuramentum* non esse natura sua ita *indissolubile* ut ex nullo abusu potestatis et tyrannide rumpi possit. Immo praestantiores inter Theologos admittebant populum posse gubernium oppressivum et tyrannicum evertere (2). Quod si hoc aliquando pro commodis et utilitate materiali licebit, a fortiori idem dicendum ubi periculum maximum pro fide et moribus ex Principis excessibus resultaret.

Absurde enim asseritur omnia tunc tolerari debere, cum haec ad maximum religionis damnum et animarum perniciem evidenter vergant; nec valet exemplum Christianorum trium priorum saeculorum: nam praeter alia discrimina quae afferre non vacat, ad rem nostram sufficiet animadvertere tunc Imperatorem fuisse *paganum*, Ecclesiae nullo modo subiectum (3), hic autem agi de iuribus Ecclesiae in Principem *christianum*, sibi subiectum.

Unde aliquando ipso *iure naturali* cessabit debitum obedientiae subditorum, perdetque Princeps potestatem qua in perniciem subditorum abutitur. Si de abusu po-

(1) Moulart, l. II, c. II, art 2, v. fin.
(2) S. Thom. 2ª 2ªe, q. 42, a. 2, 3m. Suar. Def. fid. l. VI, c. 4, n. 15.
(3) Cf. infra (Schol. I), quid Ecclesia possit a Principe pagano exigere.

testatis *in ordine* mere *temporali* agitur, iudicium penes *populum* erit (quamvis, uti patet, a periculo hallucinationis valde sit cavendum!); ubi autem de *re religiosa* agitur, videtur iudicium reservari *Ecclesiae,* an scilicet delicta Regis, quibus damnum religioni intulit vel inferre praevidetur, ita gravia sint ut ligamen obedientiae abrumpatur; causa haec, cum sit ratione materiae *spiritualis,* iudicio *auctoritatis ecclesiasticae* reservanda videtur.

Quod multo magis dicendum erit, quoties intervenit *iuramentum fidelitatis* quod praeter *vinculum obedientiae* erga Principem, *debitum religionis* erga Deum inducit. Quod ut solvatur, interveniat oportet auctoritas illa quae, vices Dei agens, nomine eius hoc in terris solvit quod in coelis, i. e. coram Deo, ligatum existit. Hinc olim contestationes de contractibus iuramento firmatis iudicio Ecclesiae reservatae erant.

Tenent plures Auctores cum Bianchi (1) Ecclesiam non posse proprie Reges deponere nec subditos solvere, at contentam esse declarare solutum vinculum fidelitatis et iuramentum. Saepe difficile erit, ut advertit Moulart, clare discernere inter *veram dispensationem* et *absolutionem* et *declarationem dispensationis* et *absolutionis* (2). Nec desunt loca ubi Pontifices declarant Principes per abusus suos sese ipsos privasse regno: « se ipse ille regno et regia dignitate privavit, ita ut sola declaratio privationis adversus eum supersit », ait Paulus III in Epist. ad Carolum Quintum, de depositione Henrici VIII (3).

At cum practice easdem consequentias admittant praedicti auctores, et in praxi eamdem extensionem potestatis R. Pontifici agnoscant, non est cur cum illis disputemus. Si tamen quaeratur quid *melius declarationibus ecclesiasticis consonare* videatur, negandum non est potius in his inveniri *assertionem* potestatis cuiusdam quae *ipsos Reges attingat* et

(1) Della potestà... l. I § VIII, n. 1.
(2) Moulart, l. II, c. II, art. 4, § 2.
(3) Apud Gosselin, P. II, c. III, p. 586.

potestate privet, *ipsos subditos* obligationibus fidelitatis et religionis *solvat,* semper tamen unice ob necessitatem boni spiritualis et proinde unice vi potestatis indirectae.

Obiectiones.

A. Obiectiones Gallicanorum. — I. Celebris est obiectio quam Gallicani contra potestatem indirectam movent, *Statuta* et *consuetudines Gallicanas* allegantes, vi quarum Reges in temporalibus sese a S. Sede semper independentes habuerunt et gesserunt.

Si inde tantum asserere volunt Reges Galliae nunquam ligatos fuisse erga S. Sedem per vinculum aliquod « *vasallitatis* » et proinde nullam eius directam potestatem temporalem expertos esse, hoc libenter conceditur. Si ultra procedentes contendant independentiam a potestate indirecta R. Pontificis, modo constanti et perpetuo, theoretice propugnatam fuisse et practice agnitam in Gallia, hoc prorsus negatur. Ex historia enim ostendi potest, solum a tempore Philippi Pulchri et Residentiae Avenionensis has praetentiones natas esse. Immo usque ad Status Generales a. 1615 Ecclesia Gallicana constanter docuit indirectam subordinationem erga Papam nec theoretice impugnata est nisi directa potestas. Tunc autem Tertius Ordo, in quo multi Calvinistae inveniebantur, ut facilius contra Ecclesiam catholicam ageret, magnum zelum pro regiis praerogativis ostentavit (dum in praxi ad resistendum et insurgendum contra Regem nullo detinebantur scrupulo!); Catholici vero, ne viderentur minus fideles, paulatim ad has theorias amplectendas adducti sunt: doctrina haec ergo non antiqua at recens omnino erat dicenda (1).

Ceterum *praescriptio* et *consuetudo* nil valere possunt contra *iura* Ecclesiae *essentialia;* ad plus poterit aliquid de usu illorum iurium per Concordata remitti; at consue-

(1) Cf. Bianchi l. I § VI; Card. Hergenr, Diss. VIII, n. 39.

tudo non approbata nil valet, praesertim autem nec ius nec validum exercitium iuris tollere unquam poterit.

II. Addunt ex *theoria* potestatis indirectae omnia *pertubari:* nam omnes casus, omnes actiones sive privatorum, sive Principum ad R. Pontificem deferri poterunt; immo perit omnis securitas Principum: nam si Rex depositus suum regnum recuperare vellet, occidi posset, etc. ([1]).

Resp. 1) Quid per istam potestatem indirectam impeditur? ius gubernandi iuxta leges iuris naturalis et iuris divini, ad bonum publicum? nequaquam; at tantum ius tyrannidem absque ullo freno et impedimento exercendi! — 2) Quod ad omnes casus se extendat negatur, sed tantum quoties seria *religionis* necessitas intercedet, ad magnum malum ab ea avertendum vel ad necessitatem eius boni, qui certe casus in praxi non tam multi exstabunt. — Tandem 3) mera est calumnia haec imputatio de Rege forte occidendo, cum Ecclesia tyrannicidium prohibeat.

III. Magnam vim faciunt Gallicani, praesertim Du Pin, in *textum Optati Milevitani*, qui in l. III. De Schismate Donatistarum, c. 3, dicit: « *Ecclesia est in Republica*, *non Respublica in Ecclesia* », unde concludunt Gallicani Ecclesiam a Republica pendere, non vicissim. At si quis *contextum* et *occasionem historicam* operis Optati consideraverit, facile videbit assertionem illam nil omnino contra thesim nostram continere. Agit enim contra Donatistas qui Catholicos accusabant quod Ecclesiam Imperatori subiicerent; quibus respondet ostendens Catholicos Imperatori honorem et reverentiam merito tribuere necnon debitas gratias pro eleemosynis in pauperes ab ipso Constante Imperatore largitas, pro quibus beneficiis iniurias et maledicta Donatistae rependebant, cum contra doceat Apostolus: « Rogate pro Regibus et Potestatibus ut tranquillam vitam cum ipsis agamus. Non enim *Respublica* est in *Ecclesia*, sed *Ecclesia* in *Republica* est, i. e. in *Imperio Romano* ubi et sa-

([1]) Bossuet, Def. declar. l. I. s. I. c. 2. Cf. Card. Herg. Diss. VIII. n. 36, 37.

cerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae in *barbaris gentibus* non sunt et, si essent, *tuta* esse non possent ».

Clarus utique est sensus ab Optato intentus: non est Status in Ecclesia, quasi per eam physice protectus ut habeat pacem et tranquillitatem, at contra Ecclesia est in Imperio Romano, in quo gaudet pace, immo in quo solo sua libertate, suis iuribus gaudet, cum alibi virtutes exerceri tuto nequeant. — Nulla est quaestio directae vel indirectae potestatis (1).

IV. Alias obiectiones quas ex *factis historicis* deducunt aliqui auctores, breviter tantum expediendas censemus. Quae ex *Iudaeis* vel *Paganis* afferuntur, evidenter ad exemplum trahi nequeunt: nam apud Iudaeos theocratia vigebat; apud Paganos nullum sacerdotium a Deo constitutum inveniebatur: unde parum refert utrum potestas civilis religiosae praefuerit. Quod autem *plures Episcopi* potestatem *Status* in *Ecclesiam agnoverint* eique *sese subiecerint*, quid inde sequitur? Timiditas et debilitas, vel etiam desiderium placendi potentibus, nil contra principia arguere permittunt. Tandem *leges imperatoriae* citantur quae de rebus ecclesiasticis sunt. At saepe latae sunt vel ex *concessione Ecclesiae*, vel ipsa *impellente* et *approbante;* aliquando fuerunt meri *abusus potestatis*, contra quos saepe protestata est Ecclesia (2).

B. — Manet altera classis obiectionum quae non iam *factis* innituntur at potius *principiis*.

I. *Societas christiana in peiorem reducitur conditionem ac societas infidelium. Resp.* 1) *indirecte.* Classica haec est obiectio qua impetitur omne frenum in quovis genere ab Ecclesia libertati humanae impositum: sic constanter recantatur Catholicos liberos non esse in rebus philosophicis, historicis, scientificis, eo quod Ecclesia per fidem intelligentiam hu-

(1) Cf. Tarqu. n. 56; Phillips, t. II § 115 (trad. fr. p. 353 sq.); Moulart, l. II, c. I, art. 2, pag. 175 sq.

(2) Cf. Tarq. n. 60; et infra in conspectu histor. P. IV, B.

manam in servitutem reducat. At hae accusationes egregie a Gregorio XVI, Pio IX, Leone XIII explosae sunt (1).

Resp. 2) *directe.* 1) *Melior* aut *peior* conditio aestimanda non est ex *absoluta* et *illimitata* libertate, quasi talis absoluta et illimitata libertas aliquod bonum *primordiale* et *inalienabile* hominis esset, ut fingebat Rousseau : *libertas* quidem, quatenus *liberum arbitrium* designat, est huiusmodi bonum, *Conc.;* quatenus *independentiam* a qualibet auctoritate, *Nego.*

2) Quaenam libertas est commendanda? omnia agendi pro lubitu? peccandi impune? Nequaquam. Si quis a male agendo impediatur, malum ipsi non est; et si ita impediatur mala agere ut tamen maneat in ipso potestas moraliter agendi et merendi, optima est coactio.

3) Nec magis ad bonum sociale quam ad privatorum bonum valet libertas effrenata: sicut enim intelligentia quae intra limites veritatis continetur et ab errore protegitur, praeclare adiuvatur ad progrediendum, sic multitudo quae ab Ecclesiae auctoritate adigitur ad servandam Dei legem, multo facilius ordinem et pacem socialem conservabit (2).

II. *Instant.* — Semel agnita *indirecta* R. Pontificis *potestate*, *destruitur vera natura Status*, et ex *omnibus Statibus* christianis *conflatur Status* aliquis *pontificius.*

Negatur simpliciter haec assertio. Potuisset quidem Christus, Rex et Dominus omnium, ita submittere omnes Status auctoritati sui Vicarii ut minueretur potestas Regum; at hanc potestatem temporalem directam Papae reiecimus et ostendimus quomodo Status maneat in sua sphaera *liber* et *independens.* Quod si necessitas finis spiritualis cogit Ecclesiam sese immiscere in negotia Status, id tantum facit quod ipsa recta ratio docet esse faciendum, ne finis spiritualis et supernaturalis periculo obiiciatur. Si insuper, vi eiusdem potestatis indirectae, impedit Statum illegitima

(1) Cf. Denz.-Bann. in Indice materiarum Enchiridii *(I, d);* Conc. Vatic. Const. de fide Cath., c. 4. Denz.-B. 1799.

(2) Cf. Schol. post. Th. I, praes. p. 130-31.

via procedere, in perniciem ipsius societatis, nullum damnum at maximam illi utilitatem praebet.

Vix necesse est ostendere confusionem idearum sub secunda imputatione latentem. In Statu pontificio R. Pontifex, qua temporalis Princeps, felicitatem temporalem subditorum procurare satagebat, ad hoc omnia media utilia procurans et promovens; at ut Vicarius Christi, in Statibus christianis, salutem aeternam hominum tantum curans, potestatem indirectam exercet, media necessaria ad hanc salutem promovens, obstacula removens, curans tandem ne per peccata fidelium, sive privatorum sive etiam Principum, haec salus periclitetur.

III. *Instant denuo.* — Sed nos *reducere* vultis ad *tempora Medii Aevi.*

Resp. Medio Aevo Ecclesia plura iura *essentialia libere* exercebat: depositum fidei tuebatur, totius legis divinae executionem urgebat etiam per potestatem indirectam in Principes: si hoc adhuc facere posset, cuinam iniuriam faceret? At insuper, ex *consuetudine* vel *Principum concessione,* plura ipsi iura accreverant, v. g. omnimodae independentiae clericorum quoad bona etiam patrimonialia a taxis communibus; — ius causas etiam laicorum ad suum tribunal vocandi; — Regum consecrationem conferre solebat ad quam certe quasdam conditiones exigere valebat; — arbitratum interponebat ad definiendas lites internationales. Nec dubium esse potest haec omnia egregie ad commune bonum societatis christianae contulisse. At haec omnia iura ipsi essentialia non sunt; ergo nemo somniet Ecclesiam haec exigere velle et haec intendere, cum sibi debitam libertatem vindicat (1).

Scholion I. De relatione Ecclesiae ad infideles.

In Scholiis istis breviter ostendentur principia quibus determinantur iura quae Ecclesiae competunt erga societates illas quae vel infidelibus constant vel etiam baptizatis,

(1) Gosselin, P. II, C. IV, n. 299 sq.

at qui Ecclesiae potestatem reiiciunt, sive quia sectae acatholicae adhaerent, sive quia *indifferentismum* aut « *neutralitatem* », ut aiunt, profitentur.

I. Et primo quidem si spectentur infideles ut sunt homines *privati*, habent obligationem *moralem*, obiective *gravissimam*, ingrediendi Ecclesiam; nam eos urget gravissima obligatio moralis id praestandi quod ad ipsorum finem ultimum consequendum requiritur. Iamvero ex voluntate Dei, ad obtinendam animae salutem, debet unusquisque Ecclesiam Christi ingredi.

Sed haec obligatio non dat Ecclesiae in infideles potestatem aliquam *iuridicam*, i. e. quam urgere possit per *leges, iudicia, coercitionem*. Talem enim potestatem nec S. Scriptura, nec Traditio Ecclesiae tribuunt, immo ipsam ei denegant. Oves suas solas Christus Petro commisit, non eas quae non sunt de hoc ovili. Et ex verbis Pauli: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? » (1) prodiit axioma illud in Iure receptum: « Ecclesia de his qui foris sunt non iudicat », quod Tridentinum confirmat dicens: « Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus » (sess. 14, c. 2, Denz.-Bannw. n. 895).

In specie, quoad *fidem suscipiendam*, liberi sunt. Quod iam Conc. Toletanum IV declarabat: « Non inviti salvandi sunt, sed volentes... Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi » (2). Nec aliter S. Thomas: « Infidelium quidam sunt qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles et Iudaei, et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi ut ipsi credant, quia credere voluntatis est » (3).

Propterea severe prohibuit Ecclesia ne filii Iudaeorum invitis parentibus baptizarentur; quin immo iniuriam ipsis fieri declaravit, « si eorum filii baptizarentur eis invitis » (4).

(1) I Cor. V. 12.

(2) Conc. Toletan. IV, cap. 56.

(3) S. Thom. 2^a, 2^{ae}, q. 11, a. 8.

(4) Bened. XIV, 28 Febr. 1747, Denz.-Bannw. 1480 sq. Cf. S. Thom. 2^a, 2^{ae}, q. 10, a. 12.

II. Si vero Pagani spectentur, non iam ut homines *privati*, sed ut viventes *in societate*, et considerentur speciatim *Principes*, quaeri debet quaenam sit illorum habitudo ad Ecclesiam.

a) Tenentur *obiective* ad legem naturalem eo modo sequendam quo eam interpretatur Ecclesia: nam quando Ecclesia, pro potestate sibi tradita, explicat sensum minus clarum legis naturalis, interpretatio ab ea tradita est *unice vera;* hoc et non alio modo intelligenda est lex naturalis. Unde evidenter sequitur neminem posse *legitime* alio modo eam explicare; at non sequitur quemlibet *subiective* ligari hac interpretatione: poterit enim vel eam *ignorare*, aut si cognoscat, *nescire se teneri* ad eam *amplectendam*, eo quod non agnoscat ius Ecclesiae eam tradendi. Et sic sive Principes sive privati, excusari poterunt a peccato *formali*, quamvis *materialiter* male egerint.

b) Ecclesia, ex missione a Christo accepta, ius habet *fidem praedicandi* et *liberi docendi* religionem christianam in universo mundo (1), *membra* sibi per baptismum *copulandi* et in *baptizatos* omnes suas *potestates exercendi*, necnon *cultum* suum *exercendi* et *bona* ad suum finem necessaria *acquirendi* et *administrandi*. Vicissim infideles et societas ipsa infidelium haec iura Ecclesiae observare debent; si his obsistunt, iniuste agunt violantque ius Ecclesiae; et in rigore iuris potest Ecclesia contra ipsos auxilium Principum christianorum invocare, ut bona sua spiritualia et temporalia et libertatem suam contra iniustos eorum conatus defendat. Nec excusat Paganos bona fides in qua versari possunt: haec enim si talis revera sit et non simulata aut ficta, excusare eos *in conscientia* poterit, *nunquam* ipsis *verum ius* contra veritatem et Ecclesiam *dabit*.

(1) Sic explicat Herg.-Hollw. (n. 126) obligationem Iudaeis impositam, saltem Romae, ut praedicationi assisterent: non enim cogebantur *converti*, sed *adimplere* officium veritatem audiendi. Quocirca apte advertit Schulte quaeri posse utrum *iniustior* fuerit haec praescriptio quam ea qua coguntur pueri scholas frequentare quas nec ipsi nec eorum parentes acceptas habent.

c) Ex isto iure obiectivo et reali Ecclesiae, explicantur etiam variae prohibitiones quas Ecclesia in saeculis anteactis vel per se tulit vel Principibus christianis ferendas praecepit, relate ad infideles qui inter Christianos degebant. *Ius* enim, immo *officium* habet Ecclesia impediendi, quantum potest, ne infideles fidei obsistant et fidelibus periculum creent per blasphemias, funestum influxum, vexationes aut persecutiones sive apertas sive occultas. Immo plura praecepta *per prius* ligabant ipsos Christianos, *indirecte* tantum infideles attingebant, sicut nunc auctorem infidelem alicuius libri pravi *indirecte* tangeret prohibitio facta fidelibus ne legant hunc librum.

Quomodo Ecclesia erga Iudaeos sese gesserit videri potest apud Phillips, t. II, § 99; Herg.-Hollweck n. 125 sq. Certe specialem omnino modum agendi iugiter habuit erga illos in quibus videbat populum olim a Deo electum, ultimis temporibus convertendum, interim retentorem tenacissimum S. Scripturae Veteris Testamenti, indeque et simul ob dispersionem inter omnes gentes argumentum convincens adimpletionis prophetiarum et veritatis Christianae religionis. Unde eos tolerabat, quamdiu conamina societati periculosa aut crimina non committebant; libertatem cultus ipsis relinquebat, cavens tamen ne Christianis molesti fierent neve eos in proprio cultu impedirent aut insultarent. Tamen ad vitandum periculum perversionis Christianorum, necnon ob rationes morales et sociales, nunquam ipsis perfectam commixtionem et communitatem vitae cum Christianis permisit, quin potius speciales in civitate partes ad habitandum reservari voluit, aliquando etiam praecepit ut vestes deferrent quibus dignosci possint, nec permisit ut Christiani eos in medicos vel infirmarios extra casus necessitatis adhiberent, multo minus ut ipsis se in servos locarent (1).

(1) Cf. in Decret. l. V, tit. 6; Pauli IV « Cum nimis » 12 Iul. 1555; Const. S. Pii V « Hebraeorum gens » 26 Feb. 1569; Greg. XIII « Alias » 30 Maii 1581.

Falso autem praetenditur has exceptionales regulas odium Iudaeorum et ipsorum effrenem cupiditatem provocasse; constat ex ipsis SS. Patribus quomodo e contra iam ab initio odio implacabili Christianos persecuti fuerint: unde lata sunt haec praecepta quibus protegerentur Christiani ab odio et rapacitate Iudaeorum. At nunquam Ecclesia « *Antisemitismum* » promovit, nec atroces contra Iudaeos persecutiones approbavit aut permisit.

N. B. — Non vacat ibi obiectionem solvere quae ex Bulla Alexandri VI « Inter cetera » 4 Maii 1493, eruitur. Hac enim Constitutione dicunt R. Pontificem sibi ius *directum* in terras *infidelium* attribuisse quas postea inter Reges Hispaniae et Lusitaniae divisit. Sufficiat breviter advertere nequaquam sibi Papam huiusmodi ius vindicasse, at duobus Principibus christianis de iuribus propriis contendentibus normam tradidisse ceterisque Regibus quaedam prohibuisse, quae pacem et concordiam, in maximum animarum detrimentum, turbassent (1).

Scholion II. A. De Ecclesia et societate acatholica.

Principium. — *Tolerantia dogmatica religiosa theoretica* admitti nequit, quippe quae omnes confessiones aeque veras (ne dicamus aeque falsas) supponit iuraque erroris agnoscit. Unde eam Ecclesia constanter reiecit et reiiciet: proinde nequit *positive* agnoscere in territorio suo sectas acatholicas, at tantum erga eas *negative* se habere, nec potest aequalitatem legalem cultuum vel libertatem omnimodam desiderare aut approbare. « De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare

(1) Gosselin, n. 222; Cavagnis, t. II, n. 190, 208 sq., qui tamen explicant decisionem Alex. VI ex iure quodam temporali historico S. Sedis.

sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse » (1). Quod etiam Brückner, etsi vir protestanticus, fatetur: « Iuridica aequalitas religionum quam repetunt, fundatur in indifferentia erga religionem in qua versantur. Dimicatur pro libero religionis exercitio et hinc intelligitur ius vivendi absque religione » (2).

Ecclesiae praxis erga haereticos formales. — In praxi Ecclesia modo prorsus diverso se gerit inter haereticos (vel schismaticos) *formales* et *materiales*. Primi enim qui *voluntarie* a fide (vel ab obedientia) defecerunt, *actualiter* in statu *rebellionis* versantur; alii vero, qui praesertim sunt homines nati et educati extra Ecclesiam, saepe in *bona fide* versantur.

Erga primos Ecclesia potestatem suam *iudicialem* et *coercitivam* exercere non tantum *potest* sed saepe etiam *debet*, ad vitandam populi christiani perversionem quae facillime sequitur quando prava semina impune crescere permittuntur. Quod erga *privatos* facit, erga *Principes etiam*, immo *potissimum* erga Principes facere debet, cum ad defectionem ipsorum plerumque sequatur nationis defectio: hac de causa firmiter obstitit Ecclesia defectioni Henrici VIII, Elisabeth Reginae, et Principum Germaniae.

Praxis erga haereticos (vel schismaticos) materiales. — *Practice* Ecclesia quoad multa erga eos aget sicut erga infideles. At operae pretium est attente considerare discrimen quod inter hos et illos intercedit. Potest Ecclesia in haereticos et schismaticos, necnon in societates ab ipsis efformatas eamdem auctoritatem exercere ac in Catholicos.

Ratio est quia ~~hi~~ baptizati sunt, manetque in eis character baptismalis quo irrevocabiliter et in perpetuum facti sunt Ecclesiae subditi. Cessaverunt quidem esse *actu membra* eius, ad quod requiritur *externa* professio fidei, participatio

(1) Encycl. « Immortale Dei », § De religione.
(2) Apud Herg.-Holl., n. 129.

in sacramentis, subordinatio hierarchiae legitimae; at aliud est *membrum* amplius non esse, aliud a *subiectione* erga Ecclesiam eximi.

Quod si obiiceretur: iurisdictioni Ecclesiae sese culpabiliter subtraxerunt eorum ascendentes, ipsi autem manent subtracti (saepissime prorsus inculpabiliter); *respondetur*: violentia et iniustitia non constituerunt verum ius independentiae pro parentibus, nam: « Nemini fraus sua patrocinari debet », ergo nullum ius transmitti potuit. Tolerantia vero Ecclesiae, seu potius cessatio actualis exercitii eius potestatis in eos, utpote necessaria, nullo modo habenda est ut agnitio vel implicita independentiae collatio.

Practice distinguendum est exercitium potestatis *legiferae* ab exercitio *iudicialis* et *coactivae*. Ecclesia considerat acatholicos ut suis *legibus ligatos*. Controvertitur quidem inter auctores utrum eos omnibus legibus suis tam disciplinaribus quam moralibus subiiciat an eximat a moralibus quae potius sanctificationem propriam spectant quam relationes exteriores et sociales. At melius videtur dicendum eos omnibus legibus teneri nisi expresse ab aliqua eximantur (ut v. g. a recenti Decreto « Ne temere » sublatum est impedimentum dirimens clandestinitatis pro acatholico cum alio acatholico contrahente); eos vero non peccare, si quas bona fide non observaverint ([1]).

In exercitio potestatis *iudicialis* et *coercitivae*, Ecclesia modo simili se gerit erga acatholicos et Status acatholicos ac erga infideles. Abstinet ab exercendo in ipsos potestatem quam radicaliter et iuridice in eos retinet; contenta obtinere recognitionem iurium quae etiam apud infideles sibi vindicat (nempe *praedicandi, membra* sibi *adstipulandi, bona possidendi*). Quae iura si Status non agnoscunt, merito omnibus modis sibi concedi tentat, possetque ad protectionem Principum catholicorum appellare, si qua inde spes successus effulgeret. Saepe conventiones inibit cum his Statibus. At nunquam Regibus et principibus acatholicis ea

([1]) Wernz I, n. 103, not. 80.

iura concedit quae catholicis dare solet, v. g. ut Conciliis per se vel suos legatos assistant, ut sedibus episcopalibus aut aliis beneficiis praesentent. Cuius discriminis rationem affert Liberatore: Principes catholici, ob fidei puritatem, quasi positivam quamdam aptitudinem habent ut in negotiis religiosis partem sumant, quam nullo modo sibi vindicare possunt acatholici, utpote a fide catholica plane extranei et a zelo pro gloria Ecclesiae alienissimi (1).

B. Principia et notae historicae de habitudine Status catholici ad haeresim et sectas.

A. **Principia.** — Si ibi quaeratur de iuribus vel obligationibus Status catholici relate ad sectas religiosas, responderi debet. 1) Non tenetur libertatem religiosam illimitatam omnibus concedere: in praxi ceterum omnes Status christiani has sectas reiiciunt quae fundamenta ordinis et moralitatis convellunt (ita Status Foederati Americae Mormones reiiciunt); et haec praxis non est nisi novum argumentum contra falsitatem *principii tolerantiae*. 2) Fieri tamen potest ut certam libertatem tolerare debeat, ad maiora mala vitanda. Quod Leo XIII his verbis agnovit: « Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitatem locum » (2). Immo non videtur impediri Status quominus pro cultu illo subventiones det, quibus non tam ipsum approbat quam maiori malo obstat quod ex omnis religionis deficientia resultaret (3).

B. **Historia** (4). — Non erit inutile breviter adnotare quomodo sese gesserint Status catholici erga haeresim prae-

(1) Liberat., Dirit. pub. eccles., n. 331.
(2) « Immortale Dei », § Haec quidem sunt.
(3) Herg-Hollw., n. 137 sq.
(4) Cf. Herg.-Hollw. Sect. III, § 5, n. 139 sq.; Aichner, § 53, 54.

sertim circa tempora Imperatorum christianorum et Medii Aevi.

I. Cum Status Pagani, aeque bene ac Iudaei semper consideraverint religionem ut fundamentum necessarium ordinis et prosperitatis publicae, propterea initio Ethnici Christianos habuerunt ut inimicos publicos quia inimici erant « *religionis Status* ». Post conversionem Imperatorum, necessario debuit Status agnoscere Ecclesiae characterem societatis *perfectae, independentis* et ab ipso Christo propria constitutione donatae, quacum tamen intimam unionem habere debebat. Et sicut officium suum esse agnoscebat *adiuvandi* Ecclesiam, ita et eam contra inimicos *defendendi* et proinde *puniendi* ut *delicta haeresim* et *schisma*. Hinc Imperatores christiani varias poenas contra haereticos statuerunt (sic Constantinus M. contra Donatistas et Manichaeos, Theodosius contra Encratitas, Iustinianus plures leges contra haereticos tulit) (1).

Quas poenas temporales Patres cum S. Augustino iustificabant ex poenis V. Testamenti contra pseudo-prophetas aut N. T. contra haereticos (v. g. I Tim. I. 20); 2) per comparationem ad poenas contra delicta iuris communis quae certe non magis culpabilia erant quam crimina contra fidem, quibus haeretici fiebant Ecclesiae devastatores et animarum occisores; 3) ex ipsis haereticorum violentiis quae efficacem requirebant coercitionem; tandem 4) ex ipsa efficacia horum mediorum, cum, experientia teste, multos ad unitatem fidei per haec media reductos videbant (2).

II. Strictior adhuc viguit unio inter Ecclesiam et regna Germanorum et Francorum, unde et efficacior assistentia Ecclesiae ab eis praestita. Ex conceptione societatis christianae, qualis Medio Aevo habebatur, religio erat Status basis et fundamentum inconcussum; omne tentamen contra religionem catholicam spectabatur a Statu ut conatus con-

(1) Cf. in Codice l. I, tit. 5, De haereticis et Manichaeis.

(2) S. August. Epist. 185 ad Bonifatium. n. 22 = c. 3 § 1, C. XXIII, q. 6. Cf. Retract. II. 5.

tra ipsum, ut *crimen maiestatis*, et ex ipsa experientia apparebat quam iusta foret talis conceptio. Inde severissimae poenae contra haereticos, de quibus ut iustum iudicium feratur, habendi sunt prae oculis mores adhuc feri huius temporis qui severitatem legislatoris explicant et, spectatis hominibus rudibus et barbaris, aliquatenus saltem necessarias reddebant atroces illas poenas: adde quod multi ex his haereticis, v. g. Cathari et Albigenses, omnia ordinis et societatis fundamenta evertebant, matrimonium, familiam, ius proprietatis.

Debuissetne Ecclesia impedire Statum quominus haeresim ut *crimen Status* haberet? nonne talis conceptio societatis christianae et proinde etiam haeresis, ut delicti publici, legitima et vera habenda erat? Cum autem Ecclesia Statum adiuvare ex caritate debeat, quantum potest quin sibi noceat, consequenter ipsi haereticos tradebat qui in manibus eius venerant et quos ut tales condemnaverat; addebat deprecationem, quae clementiae eius apprime respondet, ut eorum vitae parceretur, at abstinere non debebat ab his tradendis, eo quod sciret quanto rigore tractarentur. *Nunquam* Ecclesia *poenam* mortis in haereticos *applicavit,* nec *desiderium* aut *praeceptum* expressit ut Status eos capite plecteret, at *nec* id ei *prohibere* debuit. Status suo iure utebatur.

Inquisitio fuit reactio contra tremendam Medii Aevi haeresim, ad quam reprimendam primo Episcopi (in Conc. Tolosano a. 1229) deputati sunt, dein Gregor. IX (a. 1232), praesertim ad reprimendos excessus et nimiam severitatem legum civilium, tribunal Inquisitionis instituit, cuius munus Ordini Praedicatorum commisit, cui Ordini Innocentius IV etiam FF. Minores adiunxit; idem Pontifex (a. 1243 et 1252) normas statuit iuxta quas iudicare debuit hoc tribunal. Plane diversa fuit *Inquisitio Hispana* quam Sixtus IV, a Ferdinando Rege et Isabella requisitus, a. 1481 instituit: quae quidem institutio *ecclesiastica* fuit, utpote a Papa erecta, a quo insuper eius caput, Supremus Inquisitor, investituram semper obtinere debebat; at quae, praeter haeresim, competentiam

suam ad multa delicta iuris communis extendebat. Insuper negari nequit eam pluries excessivam adhibuisse severitatem ob quam non raro a RR. Pontificibus acriter fuit reprehensa.

Non est tacendum Pseudo-Reformatores saeculo XVI repressionem « haeresis », suo modo intellectae, et postulasse et adhibuisse. « Ita Servet Colóniae Allobrogum (Genevae) combustus est a. 1553, Gentilis capite plexus Bernae a. 1566, Crell in Saxonia a. 1601; et iuxta computationem historici Mackintosh, in Anglia, ab a. 1660 ad a. 1685, circa 25.000 personae in carcerem detrusae et 1.500 familiae destructae sunt religionis causa. Ad Ecclesiae differentiam Reformatores non tantum *approbaverunt* sed et *formaliter* poenas *requisierunt* » (1).

III. Rupta unitate fidei tempore Reformationis, abruptum est etiam in multis regionibus vinculum inter religionem catholicam et Statum. Nimis longum esset totam historiam « bellorum religionis » in variis Europae Statibus evolvere variasque phases indicare tum repressionis tum tolerantiae in *Gallia*, bella cruenta in Germania nec raro concessiones indebitas ab Imperatoribus *Germaniae* haereticis factas, addito inique praetenso *iure reformandi*, i. e. imponendi subditis propriam religionem, usque dum ad *paritatem* inter cultus ultimis hisce annis perventum sit, cum plena aequalitate ad munera publica obtinenda, plenaque cultus libertate Catholicis, Lutheranis et Calvinistis saltem *theoretice* concessa.

Cum *Hispania* et *Italia* sese feliciter contra haeresim tuerentur, manentibus legibus exceptionis, e contra omnibus vexationibus et persecutionibus subiecta est religio catholica in *Anglia, Dania*, *Suecia* et *Norvegia*.

Et haec sufficiat indigitasse: ceterum infra, in conspectu historico de relationibus inter Ecclesiam et Status, breviter indicabitur quaenam sit hodierna praecipuorum Statuum habitudo ad Ecclesiam et proinde etiam patebit quomodo sese habeant ad haeresim Status qui adhuc catholicos sese profitentur.

(1) Herg.-Hollw. n. 144.

Scholion III. De relatione Ecclesiae cum Statu indifferentismum profitente.

Praenotanda. Ex confutato systemate *independentiae omnimodae* (seu perfectae et absolutae coordinationis in omnibus) Ecclesiae et Status (1), et ex Scholio de habitudine societatis civilis ad religionem, sequitur Ecclesiam a Statu separari non debere:

1) quia Status debet probitatis et religionis curam habere, etiam ratione felicitatis temporalis qui est eius proprius finis (2);

2) ob dependentiam quam habet ab Ecclesia quoad bene multas res (3). At *in praxi*, in aliquibus locis viget separatio Status ab Ecclesia: nunc cum vera libertate Ecclesiae relicta, nunc cum statu hostilitatis et inimicitiae contra Ecclesiam.

A. Status Ecclesiae libertatem relinquens. Habetur quaedam simplex *coexistentia* Ecclesiae ut gubernii civilis. Status « recognoscere debet omnia iura Ecclesiae, saltem quatenus est associatio religiosa licita, nec impedire potest licitam eiusdem evolutionem » (4). Quid de hoc statu iudicet Ecclesia. « C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux et graves inconvénients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant digne de *tolérance* un état de choses qui *pratiquement* n'est pas le pire de tous » (5). Limites tolerantiae deducuntur ex ratione ne ampliora impediantur bona,

(1) Supra Thes. II, p. 132 sq.
(2) Supra Schol. Thes. I, p. 126 sq.
(3) Cf. Syll. pr. 77-80.
(4) Bargill. t. I, n. 33.
(5) Leo XIII, Encycl. ad omnes Galliae Catholicos, 16 Febr. 1892.

ne maiora mala consequantur; sicut et ipse Deus mala permittit, sic cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet « multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen Providentiam vindicantur, et recte » (1).

Quid faciendum habeant Catholici in huiusmodi Statu? Ipsorum partes fere reducuntur ad supplenda erga Ecclesiam positiva officia quae Status praestare deberet, ita ut sint Ecclesiae adiutores fideles, adiuvent clerum in suis necessitatibus et ministerio; honorent et practice adiuvent Ecclesiam per observantiam eius legum, per bona exempla, apertam fidei professionem, et etiam curando ut ab his quibus praesunt Ecclesiae praestetur honor et reverentia debita; suis bonis conferant ad divinum cultum, ministrorum sustentationem, opera beneficientiae (2).

Quae vix apte praestabunt nisi organizentur, uniantur; unde sponte efformabunt associationes, habebunt comitia, congressus. Caveant tamen ne sua iura excedant et ex adiutoribus Ecclesiae evadant eius oppressores (sicut potuissent esse in illis « Associationibus Cultualibus » quas Ecclesiae Gallicanae imponere volebat lex *Separationis* 9 Dec. 1905, et quae ex una parte ansam praebebant omnibus usurpationibus et oppressionibus gubernii, ex altera vero, constitutionem divinam Ecclesiae non agnoscentes, laicis tribuebant partes hierarchiae reservatas). Plane aliter Carolus M. qui gloriabatur dici: « Karolus, Dei gratia Rex, Ecclesiae Defensor et in omnibus Apostolicae Sedis adiutor fidelis ».

B. Status separatus ab Ecclesia et infensus (3). Ut patet, Ecclesia non potest non condemnare talem conceptionem, et omnibus modis non obsistere sive institutioni talis status rerum sive conatibus contra se directis. *Laici* vero *actualiter, strenue, fortiter defendere* Ecclesiam de-

(1) S. Aug. De libero arbitrio, l. I, c. 6, n. 14. citatus a Leo XIII, Enc. « Libertas » § Nihilominus.

(2) Cf. Barg. n. 34; Liberat. Diritt. pub. eccles. n. 342 sq.

(3) Barg. n. 33, b; Liber. n. 346 sq.

bent. Utentes iuribus quae concedit constitutio sui Status, in *iustis* et *licitis* obedientiam praestantes, omnibus modis legitimis (per associationes, ephemerides etc.) tentare debent saltem *libertatem* Ecclesiae obtinere. Quin immo conari debent ut in rerum publicarum gestionem sese immisceant, non quidem « ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus minus honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes sapientiam virtutemque catholicae religionis, tanquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere » (1).

PARS IV. CONSPECTUS HISTORICUS RELATIONUM INTER ECCLESIAM ET SOCIETATES CIVILES.

(Opus quasi classicum in hac materia est Card. Hergenröther, Kath. Kirche u. christ. Staat (La Chiesa Cattolica e lo Stato cristiano); Cf. etiam Phillips, t. III. § 117-148; Wernz, t. I, n. 11-44; Sägmüller § 14; Hergenröther-Hollweck, Sect. II, c. II; Aichner, § 41-49; Gosselin, Pouvoir du Pape au Moyen-Age; Moulart, L'Eglise et l'Etat, l. II, c. IV).

Christus Dominus neque *regnum terrestre*, neque *theocratiam* quamdam, ad exemplum illius quae apud Iudaeos vigebat, fundavit, at *societatem spiritualem* cuius natura et relationes essentiales cum Statibus ex his deducuntur quae ipse per se vel per Apostolos docuit et instituit. At magni momenti est videre quomodo ad praxim deducta sunt haec principia quae, ut *iuri divino* innixa, de se sunt *immutabilia*, non raro autem omnes suas applicationes et consequentias

(1) Encycl. « Immortale Dei », § Item Catholicorum.

ob extrinseca adiuncta sortiri impediuntur, vel diversis modis applicantur, intervenientibus etiam conventionibus cum Statibus (1).

Claritatis gratia, hanc expositionem historicam in varias periodos dividemus, non quidem prorsus arbitrarie, at iuxta indolem generalem relationum hoc tempore vigentium determinatas; quarum prima complectetur tempus a fundatione Ecclesiae ad Constantinum; secunda, multo longior, a Constantino ad Bonifacium VIII quae, praeter tempora Barbarorum, Medium Aevum comprehendet; tertia a Bonifacio ad Reformationem; quarta a Reformatione ad dies nostros; absolvetur haec expositio per brevem conspectum habitudinis actualis Ecclesiae catholicae ad Status in variis orbis partibus.

A. A fundatione Ecclesiae ad edictum tolerantiae Constantini M. (a. 29-312).

Tribus primis saeculis omni persecutionum generi obnoxia fuit Ecclesia. Et re vera erga saeculares potestates debitam obedientiam profitebantur Christiani, edocti ab ipso Christo reddere quae sunt Caesaris Caesari, et ab Apostolis « potestatibus sublimioribus » subditi esse (2), Regibus, Ducibus omnique legitimae auctoritati obedire (3); nil ex parte Ecclesiae timendum habebat potestas politica, immo meliores et fideliores subditos apud Christianos inveniebat; nihilominus eos insatiabili odio persecuta est. Ratio praecipua fuit intimus nexus quo cum ipso Imperio colligabatur religio nationalis. Iure merito apud omnes populos antiquos habita est religio ut fundamentum ordinis socialis, boni et prosperitatis publicae, inde vero ad identificationem quamdam inter ipsius nationis exsistentiam prosperitatem-

(1) Cf. supra p. 140.
(2) Rom. XIII, I.
(3) I Pet. II, 13, 14, 18.

que et deorum nationalium cultum pervenerant; quicumque haec duo separare volebat, ut perturbator et inimicus suae gentis habebatur. Quae certe persuasio non *iustificat* exclusionem religionis illius quae, quamvis nova, tot ac tantis signis et eximia sanctitate originem suam divinam prodebat; *explicat* tamen cur ingenti odio potestatis publicae necnon saepe ipsius plebis obiecta fuerit christianismus qui falsae deorum nationalium religioni sese subordinare detrectabat, immo eam debellabat et abolendam constanter praedicabat (1).

Qui status violentae oppositionis et saevientis persecutionis sapientissimo Dei consilio permissus fuit, quo melius divina Ecclesiae origo patefieret et eius a Statu omnimoda independentia oculos percelleret. Prorsus independenter ~~sive~~ /tum a Synagoga ~~sive~~ a Romano Imperio Concilia celebravit, iurisdictionem suam exercuit, bona et aedificia acquisivit. Status autem eam instar *collegii illiciti* habens, nunc dissimulans tolerabat, saepius vero vexabat, vel omni violentia debellabat et exstirpare conabatur (2).

B. Ab edicto Constantini (a. 312) ad Bonifacium VIII. (a. 1294-1303).

I. — Converso ad fidem Constantino, res statim mutatae sunt. Tolerantia primum (a. 312), mox plena libertas, per edictum Constantini et Licinii (Mediolani, a. 313), religioni christianae concessa est (3). Inde a Constantino, praeter breve tempus dominationis Iuliani Apostatae (361-363) qui persecutionem eo magis periculosam quo perfidiorem contra Ecclesiam excitavit, non cessaverunt Imperatores

(1) Tertull. Apologet. § 4, Migne, P. L. I, 284 sq. Gosselin, Introd. n. 18, 19.

(2) Bossuet, Discours sur l'histoire univers. P. II, c. 20; Moulart, l. c. art. I, p. 328 sq.

(3) Euseb. Hist. eccles. l. IX, c. 9; l. X, c. 5. Cf. Kirch, Enchir. n. 314.

Ecclesiae favere, usque dum Theodosius M., a. 391-92, ethnicorum cultum prohiberet. Renuntiantes cum Gratiano (a. 382) antiquo titulo *Pontificis Maximi* quem Caesar Augustus eiusque successores ad incrementum suae potestatis sibi assumpserant, Imperatores christiani titulo *Advocati Ecclesiae* et *Episcopi externi* maxime gloriati sunt.

Religio christiana vere *religio Status* effecta est maximisque favoribus cumulata; publica pecunia erectae sunt multae Ecclesiae, soluti sumptus pro itineribus Episcoporum ad Concilia; paulatim introducta immunitas personalis, realis, localis; in multis causis Episcopi iudicare permissi; leges ipsae magis in dies accommodatae sunt legibus divinis et canonibus Ecclesiae, quin et canones quatuor priorum Conciliorum generalium leges Imperii a Iustiniano sunt declarati (1).

At tacendum non est favoribus tam amplis non raro immixtos fuisse abusus; Byzantini praesertim Imperatores, ex dominationis universalis siti, saepe a protectione ad munus tutoris, mox ad dominationem et etiam ad tyrannidem processerunt: sibi enim potestatem assumpserunt decernendi de Episcopis, clericis et monachis, de clericorum residentia etc.; mox eo usque processerunt ut leges de materiis fidei conderent, quae usurpatio eo magis lugenda fuit quod saepe haeresi, non verae fidei patrocinarentur. Iam circa finem sui regni Constantinus, ab Arianis deceptus, eis favorem praestiterat, aperte autem et acriter Arianorum partes sustinuerunt Constantius et Valens; Zenon suum Henoticon, quo Eutychianis favebat, a. 482 publicavit; Iustinianus maiori tamen rectitudine fidei, edicta contra Origenem (a. 543), postea contra tria Capitula (a. 544, 551) promulgavit (2); Leo Isauricus suo Edicto (a. 726) doctrinam et praxim de sacris imaginibus impugnare coepit.

Quas usurpationes patienter tolerare Ecclesia non potuit, nec officio suo eas condemnandi defuit, per gravissima

(1) Novella 131, c. 1.
(2) Denz.-Bann. n. 203 sq.; 213 sq.

verba Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Basilii, Ioannis Chrysostomi et Augustini, praesertim vero per os RR. Pontificum S. Leonis M., Gelasii I etc. (1). Non pari autem constantia restiterunt multi ex Episcopis Byzantinis qui, vel timore compulsi, vel spe allecti favorem Imperatorum sese conciliandi, maximam saepe servilitatem ostenderunt, Imperatores etiam titulis *Pontificis*, *Sacerdotis* decorantes, (ita in Synodo Constantinop. a. 448 egerunt erga Theodosium II, in Chalcedonensi erga Marcianum), quem titulum ad genuinum sensum reducere debuit Gregorius II in sua ad Leonem Isauricum responsione (a. 729).

II. — Interim in Occidente ad ruinam vergebat Imperium Romanum, quod tandem Barbarorum ictibus succumbebat. Cum autem plures ex populis Germanicis fidem christianam arianismo foedatam amplexi essent, Francorum natio, post insignem Clodovaei Regis victoriam (a. 496), integram fidem catholicam suscepit strenueque propagare incepit: ad quam, decursu saeculi VI, Burgundiones in Gallia, Visigothi in Hispania, Longobardi in Italia reversi sunt, Saxones quoque et Angli conversi.

His pro Imperio Romano tam luctuosis temporibus in immensum excrevit auctoritas Episcoporum in quibus solis efficax contra Barbarorum ferociam subsidium victi inveniebant, quosque solos ob virtutes et dignitatem victores reverebantur: unde *defensores civitatis*, *re* magis adhuc quam *nomine*, facti sunt. Mox vero sincere et singulari animorum devotione fidem amplexi Barbari, Episcopos necnon et monachos qui his temporibus florere coeperunt, summo amore et reverentia prosecuti sunt, eosque instar patrum, tutorum et magistrorum habuerunt.

Vigere tunc incepit plane mirabilis illa inter duas potestates concordia tot bonis fecunda; Ecclesia nempe ~~paulatim~~ nativam Barbarorum ferocitatem effrenesque cupiditates domante, auctoritate civili Ecclesiae fidele adiutorium praebente, utraque potestas alteri ~~mutuum~~ auxilium prae-

(1) Epist. Gelasii ad Imperat. Anastasium I. a. 494. = c. 10, D. 96.

~~buit~~ ad promovendum illius finem, quin propria alterutrius independentia periclitaretur. Populi neo-conversi, religionem catholicam ut *religionem Status* habentes, *religionisque finem* ut *supremum* et *unicum finem ultimum* omnium *societatum* considerantes, consequenter leges suas cum dogmatibus et supernaturali morali harmonice concordaverunt, dum vicissim Ecclesia multa illorum populorum instituta, reiectis abusibus, recipiebat.

Sed ultra angustos limites Statuum particularium influxum exercebat Ecclesia: nam ex illa perfecta paritate principiorum, aspirationum, utilitatum et legislationis orta est inter nationes christianas unio quaedam intima quae nomen « *christianitatis* » merito obtinuit. Unaquaeque gens suam *autonomiam servans* propriamque auctoritatem cum iuribus et obligationibus, simul cum aliis nationibus *in Ecclesia* et *ex Ecclesia*, quasi ex communi quodam *centro*, in unitatem quamdam confluxit, *confederationemque* aliquam *mixtam*, *politicam* simul et *religiosam* efformavit, sub R. Pontificis suprema auctoritate. Illius erat invigilare in fidem et mores, pacem et ordinem inter Reges varios, inter Principes et subditos stabilire, quae ad plenam religionis prosperitatem, ad perfectum divinae missionis Ecclesiae complementum requirebatur (1). Quae omnia tamen potius *de facto* et quasi *implicito* populorum et regnorum *consensu* effecta sunt quam *ex pactis* et *expressa conventione*, cuius effectus iuridicos plures concedere noluimus fautoribus systematis historici (2).

Fatendum est saepe, praesertim apud Visigothos et Gallos, *compenetrationem* quamdam *potestatum* locum habuisse quae arduam reddebat utriusque potestatis delimitationem, non sine periculo pro vera Ecclesiae independentia. Episcopi enim magnis privilegiis temporalibus aucti, potestate praediti iudicandi, taxas imponendi, monetas cudendi, cum optimatibus Regni in *Concilia* mixta conveniebant; at non raro

(1) Cf. Moulart, l. II, c. IV a. 2 quem in duabus ultimis §§ fere ad verbum citavimus.

(2) Cf. supra p. 152 sq.

in horum favorum pretium Reges ius quoddam eos nominandi sibi arrogaverunt (1).

III. — *Specialis* vero et *intimus* unionis modus inter *Ecclesiam* et *Sacrum Imperium Romanum* efformatus est. Iam Pippinus et Carolus M. per subsidium R. Pontifici contra Longobardorum usurpationes efficaciter praestitum, eius dominium temporale, magnam saltem partem, fundaverant; ambo in signum grati animi *Patritii Romani* titulo decorati sunt; Carolus vero in festo Nativitatis Domini, a. 800, a Leone III sollemniter *Imperator* coronatus est. Quae dignitas a pio Imperatore rite intellecta est ut officium *defensoris Ecclesiae, Papae* et *eius civilis potestatis, non* ut *novae* cuiusdam *monarchiae* constitutio, cuius legibus omnes aliae nationes christianae subiicerentur. Ipse Carolus sese *devotum sanctae Ecclesiae defensorem humilemque adiutorem* declarabat.

Potestas imperialis Ludovico Pio, dein aliis Principibus successive concessa, post Ottonem I qui a. 962 ~~iterum~~ Imperator coronatus fuerat, vi privilegii pontificii per modum taciti pacti semper unita est cum dignitate et potestate Regis Germaniae.

Quae unio, quamvis non paucorum bonorum origo, multa etiam incommoda secum induxit. Imperatores enim, praesertim Otto (962-973) et multo magis Henricus III (1039-1056) de Sede Apostolica et R. Pontificis nominatione quasi iure proprio disponere ausi sunt. Imperatores etiam et Reges in electionem Episcoporum amplam sibi potestatem arrogaverunt, his formulis et symbolis utentes quae ipsos ad simplices magistratus civiles reducere videbantur.

Mox autem ex illa dependentia a civili potestate, nervus ecclesiasticae disciplinae relaxatus est, lugendumque in modum orti sunt et excreverunt abusus *simoniae* et *incontinentiae clericorum*.

IV. — Gregorius VII (1073-1085) invicta constantia scopum persecutus est, cui iam ut consiliarius plurium suorum

(1) Sägmüller, § 14, p. 47.

in Sede Petri praedecessorum sese dedicaverat, *independentiam* nempe Ecclesiae vindicandi eiusque *sanctitatem* instaurandi; at nunquam in mente habuit, ut falso ipsi ab adversariis Ecclesiae fuit imputatum, *monarchiam* aut *theocratiam* universalem regnorum christianorum instituendi, in qua Reges omnes instar vassallorum Papae exstitissent.

Ut praecipuam malorum radicem evelleret Gregorius, omnes conatus contra abusus *investiturae laicorum* direxit, quae in Italia et Gallia, magis adhuc in Germania tunc vigebat. Hinc luctam contra ~~Imperatorem~~ Henricum IV (1056-1106) strenue et constanter prosecutus est. In exilio quidem mortuus est Pontifex, causa autem eius vicit; et in Concordato Wormatiensi inter Callixtum II (1119-1124) et Henricum V (1105-1125) quod in Concilio Lateranensi I, (a. 1123) est confirmatum (1), pax inter Ecclesiam et Imperium restituta est. Dissidia etiam in Gallia et Anglia composita sunt.

/ Regem

Non defuerunt tamen omnino controversiae, v. g. inter Alexandrum III (1159-1181) et Fridericum Barbarossam (1152-1190), et inter eumdem Pontificem et Regem Angliae, Henricum II (1154-1189); is vero, post actam poenitentiam ad tumulum S. Thomae a Becket, cum Ecclesia reconciliatus est anno 1176; Fridericus vero, anno sequenti, Venetiis pacem cum Alexandro conclusit. Unde tandem sub pontificatu Innocentii III (1198-1216) Sedes Apostolica et Ecclesia catholica supremum fastigium auctoritatis et gloriae adepta est; Papa verus arbiter populorum christianorum et quasi pater exstitit totius familiae christianae, ad maximum bonum et generalem pacem totius Europae, quae Saracenorum impetum retundere efficaciter potuit.

C. A Bonifacio VIII (1294-1303) ad Reformationem (a. 1517).

Labente saeculo XIII declinare incepit auctoritas R. Pontificis simulque cum ea imminutus est salutaris influxus quem, in Medio Aevo, Papae in Reges et Imperatores ad bonum

(1) Nussi, Conventiones, p. 1 sq.

totius societatis christianae exercuerant. Cuius tristis immutationis causas plures invenire est sive in *historicis adiunctis* sive in *theoriis* tunc temporis exortis.

a) *Duplex* praecipue *eventus historicus* est indicandus: *residentia Papae* in urbe *Avenionensi* et magnum *Occidentale Schisma.*

In frequentibus et longis dissensionibus quae inter Imperatores et RR. Pontifices ferbuerant, auxilium saepe vel etiam refugium apud Reges Galliae invenerant Pontifices, praesertim vero Alexander III qui, anno 1161, profugus ab Italia quam Fridericus Barbarossa invaserat et devastabat, in Galliam sese recepit, et Innocentius IV (1243-1254) qui in Concilio Lugdunensi a. 1245 ad extremum remedium depositionis contra Fridericum II (1197-1250) devenire debuit: is enim, beneficiorum ab Innocentio III acceptorum prorsus immemor, ab ipso suae coronationis anno (1220), systema strenuae et simul hypocritae persecutionis contra Ecclesiam initiaverat. Nil mirum si Pontifices, in signum grati animi erga Reges Galliae, necnon paterni amoris erga S. Ludovicum IX, filium Ecclesiae dignissimum, benevolentiam specialem huic regno ostenderunt.

At mox in apertum dissidium mutata est haec concordia. Nam Philippus Pulcher, indignus S. Ludovici nepos, a pravis consiliariis extra viam rectam allectus, necnon ambitione et avaritia abreptus, occasione pecuniarum iniuste a clero extortarum, lugendam cum Bonifacio contentionem orditus est, in qua Papa *iustitiam* et *veritatem*, *forma* aliquando nimis *acerba*, sustinuit, Rex vero armis *mendacii* et *violentiae* usus est, usque dum ipsum Bonifacium in civitate Anagnensi indignissime offenderet.

Mortuo autem Bonifacio et, brevi post, eius successore Benedicto XI, infaustum consilium suscepit Clemens V (1305-1314) Italiam factionibus devastatam relinquendi, et Avenione suam residentiam constituendi; ex quo tempore ob dependentiam saltem apparentem, non raro etiam veram, a Rege Galliae, orta est vel excrevit diffidentia aliorum Principum, et multiplicati sunt conflictus cum Imperatoribus

Germaniae, primo quidem inter Clem. V et Henricum VII, praesertim autem inter Ioannem XXII (1316-1334) duosque eius successores et Ludovicum Bavarum: is enim a partibus Fraticellorum, mox a Marsilio Patavino adiutus et in Italia cum Ghibellinis unitus, excommunicationem spernens Romam ingressus est, Antipapam creavit et fere usque ad mortem (a. 1347) a lucta cum Papa non destitit.

Post mortem Ludovici unio restabilita videbatur in Imperio, cum adhuc infaustius quid successit, nempe *Occidentale schisma,* quod ab a. 1378 ad a. 1417 nationes christianas inter obedientiam duorum et etiam trium Pontificum divisit, legamina obedientiae et debitae subiectionis relaxans, reverentiamque et amorem populorum erga S. Sedem multum imminuens.

b) Mox *falsae* et *novae theoriae* de *potestate pontificia* et *imperiali,* quibus praeluserant praetentiones Friderici Barbarossae et Friderici II, adhuc profundius animos contra Pontifices excitarunt. Barbarossa, se successorem antiquorum Imperatorum Romanorum arbitrans, voluntatemque suam ad condendam legem sufficere reputans (*Imperator animata lex*), quasi usurpationes RR. Pontificum habebat tum dominationem Papae in Statu pontificio tum abrogationem investiturae laicorum per conventionem Wormatiensem. Ulterius adhuc progressus est nepos eius Fridericus II, qui etiam auctoritatem religiosam sibi assumere praetendebat. Quae autem Imperatores illi potius vi et violentia obtinere conabantur, iuridicis fictionibus legistarum praesertim Bononiensium innixi, saec. XIV ineunte fundamentis scripturisticis et dogmaticis fulcire conati sunt fautores imperatoriae vel regiae usurpationis, Guglielmus Occam, praesertim vero Marsilius Patavinus et Ioannes a Ianduno ([1]).

Falsae illae ideae late sparsae, avideque a Principibus in incrementum suae potestatis admissae, serius in Pseudo-Synodo Basileensi propugnatae (1438 sq.) inde in comitiis Moguntinis acceptatae sunt et in Pragmatica Sanctione Bitu-

([1]) Cf. supra p. 47 sq.

ricensi (a. 1438), quae praetentionibus gubernii gallici sanctionem legalem dedit, admittens Regium Placitum, appellationes ab abusu etc. Quibus malis RR. Pontifices per Concordata Viennensia (a. 1448) et Concordatum a. 1516 inter Leonem X (1513-1521) et Franciscum I, Regem Galliae, obviam ire tentaverunt.

Ob has luctuosas dissensiones et schismata, ob theorias illas falsas quibus ipsum principium auctoritatis ecclesiasticae oppetebatur, vehementer turbatus est ordo societatis christianae, omnesque populi Europae, illius antiquae et fecundae unitatis obliti qua, sub suprema auctoritate R. Pontificis, communis patris, doctoris et arbitri, in unam familiam convenerant, iura nationalia vehementer appetere coeperunt et connexionem cum Ecclesia universali minus ambire.

D. A Reformatione (a. 1517) ad tempora nostra.

I. « Qui consideraverit quam facile doctrina Marsilii et Occam in Germania et Italia propagari potuerit..., merito mirabitur quod hoc tempore, *magna haeresis* nondum eruperit et saeculo tantum XVI completa fuerit » (1). Tunc autem, post magnum Occidentale Schisma, disciplina ecclesiastica penitus collapsa, principio nationalitatis alte in cordibus defixo, facilis occasio Luthero praebebatur infelicis huius scissionis consummandae quae plures populos a capite spirituali familiae christianae et a communione cum Ecclesia abscidit.

Et initio quidem Lutherus praedicabat Christianos *nulla auctoritate*, nulla externa gubernatione *egere;* brevi autem necessitate compulsus auxilium temporale sibi procurandi, in dies suam sententiam mutavit. Iam anno 1523 declarabat, communitatem christianam, tantis angustiis pressam, *posse* et *debere ordinem* quemdam *ecclesiasticum instituere*. Paulo post (a. 1526) populum Germanicum, huic ordini condendo ineptum proclamans, penes ipsos imperantes divinam quam-

(1) Phillips, t. III § 134, initio.

dam *vocationem ad* hanc *institutionem* agnovit. Mox tandem fautor strenuus evasit *exclusivae* cuiusdam *religionis Status:* sic brevi Protestantes ad absolutum potestatis civilis in *conscientias despotismum* et tyrannidem devenerunt, quam infeliciter, post longissima bella et generalem Europae conflagrationem, pax Westphalensis (a. 1648) consecravit, agnoscens penes Principes *ius reformandi*, i. e. propriam religionem subditis imponendi, quod ius in principio prorsus antichristiano fundatum est: « *Cuius regio, illius et religio* » (1).

Ut autem, saltem apparenter, talem Status in iura ecclesiastica intrusionem iustificarent, varia systemata excogitaverunt Protestantes, inter se et non raro cum ipsis principiis Protestantismi pugnantia.

a) Systema *episcopale* a Stephani († 1646) fundatum, promotum vero a Carpzov († 1699) et Moser († 1761) specie tenus potestatem Episcoporum admittit, (independenter, ut patet, a potestate R. Pontificis); explicat autem quomodo haec potestas ad *Principes* saeculares *devoluta* fuerit. Suspensa enim provisorie ex Pace Augustana (a. 1555) iurisdictione ecclesiastica et episcopali in Statibus protestanticis Imperii, necesse fuit ut ad aliquem devolveretur; cuinam autem, nisi Principi? Quod vix confutatione indiget, cum: 1) devolutio ab *inferiore* fiat ad *superiorem;* Princeps vero saecularis nullam habeat auctoritatem in Ecclesia; 2) quia potestas illa suspensa fuerat per ipsorum Principum violentiam, quae nullum ius ipsis praebere potuit.

b) Systema *territoriale*, ab Hugone Grotio, in libro *De imperio summarum potestatum circa sacra* (a. 1646-47) excogitatum, a Thomasio († 1728) et Böhmer († 1749) evolutum, duobus his axiomatibus compendiari potest: « *Ecclesia est in Statu* », et « *Cuius regio, illius et religio* »; unde *nullam organizationem religiosam* a Statu *independentem* admittunt, qui ipse pro bono pacis subditis suis praescribere potest externam aliquam formam religiosae activitatis. Quasi Deus non potuerit Ecclesiam suam independenter a

(1) Herg.-Hollw. n. 100 sq.

Principibus condere! immo sic Christum eam condidisse certum est.

c) Systema *collegiale*, a Pufendorf († 1694) iam initium habens, sed a Pfaff († 1760) et Mosheim († 1755) constructum, innititur illo falso et ficto principio quod *potestas ecclesiastica* in ipsa *communitate christiana* reponatur; usurpata aliquando per hierarchiam contra voluntatem Christi, tandem ad communitatem reversa est quae eam Principibus partim transmisit: hi ergo *delegationem* quamdam obtinent, et vi *contractus* alicuius sunt ecclesiarum nationalium capita. Cuius delegationis, ad necessitatem causae inventae, ne vestigium quidem historicum afferri potest nec eam Protestantismus in suo exordio suspicatus erat!

Iam diximus supra (p. 97) quomodo ad salvandam aliquatenus independentiam potestatis ecclesiasticae, distinctionem inter iura *in sacra* et iura *circa sacra* excogitaverint (1).

II. Cum de aliis erroribus qui in ceteris Europae partibus a saeculo XVI ad XVIII propagati sunt, iam tractatum fuerit in Qu. I (2), sufficiet hic brevissime summam quamdam illorum errorum exhibere.

In *Gallia* post Philippum Pulchrum et Pragmaticam Sanctionem Bituricensem saepissime iura S. Sedis a Regibus et Parlamentis violata sunt. Deinde a Petro Pithaeo, postea a Richerio et aliis propugnatae sunt *libertates gallicanae*, quae declarabant *potestatem Papae* per *canones* veteres et *consuetudines* nationales limitari, quaeque insuper per ius *vigilandi* et *influendi* in res ecclesiasticas gubernio concessum, praetextu libertatis a dominatione pontificia, veram servitutem ecclesiae gallicanae erga Statum inducebant. *Febronianismus* libertatem et independentiam Ecclesiae magis adhuc restringebat, cum Statum *omnipotentem* faceret, cui erga Ecclesiam ius *ordinandi, cavendi, protectionis* concedebat, verbo omnimodam tutelam, suprematiam et dominium. *Iose-*

(1) Cf. Aichner § 43; Herg.-Hollw. n. 102 sq.; Choupin, Valeur des décisions etc. ad prop. 41 Syllabi.

(2) Cf. supra p. 49 sq.

phinismus qui *ius* quoddam *eminens* Status in omnia bona et iura privatorum agnoscebat, illud ius ad dominationem in ipsam Ecclesiam extendit; distinguens inter *essentialia religionis* quae Status, etiam ob proprium suum bonum, omni modo promovere et observari curare debet, (hinc penes ipsum agnoscitur suprema vigilantia et dominatio in Ecclesiam), et *accidentalia religionis*, quae Status eliminare potest, si haec sibi nociva iudicaverit.

Contra hos omnes errores et abusus Ecclesia nunquam protestari destitit, per organum RR. Pontificum, et per operam virorum doctissimorum, veluti Suarezii († 1617), Bellarmini († 1621), Bianchi († 1758). At saepe Canonistae et Theologi ex nimia prudentia abstinere maluerunt a tractandis quaestionibus illis, et sic errori apertum campum non raro reliquerunt.

III. **Revolutio Gallica** (a. 1789 sq.) non leves abusus sustulit, at multorum malorum et destructionum origo fuit. Tristi autem experientia minime edocti, multi Principes post Congressum Viennensem (a. 1815) eosdem abusus Caesaropapismi in praxi tenuerunt, iterumque Ecclesiam Statui subiicere conati sunt; post conflictus a. 1830 et a. 1848 aliquamdiu libertati Ecclesiae magis faverunt, at iterum atque iterum falsa sua principia saltem in praxi denuo induxerunt. Multi etiam errores de quadam *suprematia Status* in Ecclesiam constanter spargi pergunt (1). Contra quos tam clare exposita sunt principia de relationibus inter Ecclesiam et Statum per Pium IX in Encycl. « Quanta Cura » et in Syllabo, et per Leon. XIII in variis Encyclicis, praesertim « Immortale Dei » et « Sapientiae christianae » « ut integrum quoddam systema de habitudine inter Ecclesiam et Statum tradidisse dicendi sint » (2).

(1) « Nous sommes tous, dans ce cabinet (ministériel), des républicains de gauche fermement attachés a l'idée laïque et a la *suprématie de la société civile* ». Discours de M. Poincaré, Président du Conseil des Ministres en France; Journal Officiel, 16 Janv. 1912.

(2) Wernz, I, n. 37.

E. Actualis relatio Status et Ecclesiae inter varias nationes.

Nimis longum esset accurate definire quaenam nunc vigeant *relationes* inter *Ecclesiam* catholicam et *singulos Status* orbis terrarum. Ad propositum nostrum sufficiet *triplicem* praecipuam *habitudinem* indicare quae nunc inter utramque potestatem reperiri potest, simul indigitans ad quam ex his tribus *potissimum* referendi sint varii Status (1). Apte enim distingui potest cum Wernz (I, n. 38): 1) status *amicitiae* et *Concordiae;* 2) status *plenae separationis;* 3) status *arbitrariae dominationis* potestatis civilis quae ipsa legibus suis iura Ecclesiae determinare et limitare praesumit.

I. — Status quidem *amicitiae* et *concordiae* inter Statum et Ecclesiam accuratius determinari solet per *conventiones* (seu *Concordata*). Commendari quidem potest, dummodo gubernium conventiones illas per adiectas leges arbitrarie non modificet. Qui status in plerisque Europae regionibus saeculo elapso viguit, at cum vicissitudinibus non parvis nec paucis.

In *Hispania,* violentum dissidium, post a. 1814, ortum tandem cessavit, et Concordatum a. 1851 est initum quod sat fideliter in praxi est observatum.

In *Austria* etiam quae paulatim a principiis Iosephinismi recesserat, *conventio* inita est a. 1855; at, post annum 1866, factio liberalis gubernans Concordatum primo modificavit et tandem suppressit a. 1870, ipsi leges iniustas et oppressivas substituens quae feliciter pleno rigore non sunt applicatae. In regno *Hungarico,* quod ante a. 1855 ius canonicum instar iuris civilis admittebat, Concordatum aegre ad-

(1) Potissimum dico; paucos enim invenies Status qui ad unum ex his typis exclusive pertineat; plures enim qui Concordata inierunt, practice ea vix observant et omnino ad tertium genus sunt reducendi, ut de Russia apparebit.

missum practice a Catholicis derelictum est, qui diu expetitam *autonomiam* circa regimen scholarum, exercitium iurispatronatus et bonorum ecclesiasticorum administrationem, tandem a. 1897 obtinuerunt.

In *Italia* quoque varia *Concordata* a. 1803 et post a. 1815 inita sunt quin tamen gubernia plura a principiis Regalismi in praxi recederent. At post a. 1848 monarchia Pedemontana per usurpationes et spoliationes Ecclesiam et Ordines religiosos vexans, tandem ad extremam dominii temporalis S. Sedis occupationem processit unde continuus et semper acutus conflictus, qui difficillimam solutionem praefert.

Gallia ab a. 1801 usque ad violentam et iniustissimam *separationem* anno 1905 patratam, per *Concordatum*, inter Pium VII et Napoleonem I initum, recta est, cui tamen iam ab a. 1802 additi erant *articuli organici*, quibus non pauci abusus Gallicanismi, v. g. Placitum regium, appellatio ab abusu,denuo introducti fuerant: hos articulos constanter reiecit S. Sedes pluresque ex his nunquam ad praxim deducti sunt

In *Helvetia*, cum pluribus Pagis existunt conventiones, at, his non obstantibus, tristissima fuit conditio Pagorum sub guberniis acatholicis existentium, et solummodo ultimis hisce annis de rigore et vexationibus remissum est. Pagi vero catholici maiore, etsi non integra libertate fruuntur.

Concordatis reguntur multi *Americae latinae* Status qui. insuper religionem catholicam solemniter proclamant religionem Status; at non raro ultimo saeculo usurpationes bonorum, violationes libertatis ecclesiasticae, immo cruentae persecutiones per gubernia sectaria motae, tristem contradictionem cum his principiis et intima istarum nationum erga religionem propensione, non semel praebuerunt.

II. — *Plena separatio* inter Ecclesiam catholicam et Statum, de se minime approbanda, cum principiis falsis innitatur, *in praxi* tamen non raro maiorem libertatem Ecclesiae praebuit quam status amicitiae per Concordata confirmatus.

Talis separatio nunc in *Belgio* viget, vi Constitutionis a. 1831, in *Anglia*, post Catholicorum emancipationem tan-

dem a. 1829 concessam, in *America Septentrionali,* vi Constitutionum a. 1787 et 1791 (1). Aliqua etiam separatio in Republica *Mexicana,* necnon in *Brasilia* nunc viget.

Huic separationi analoga est libertas illa plena quae nunc Ecclesiae catholicae concessa est in *Dania* ab a. 1849; quin et in *Turchia* iam ab a. 1839, ad quam iterum atque iterum a. 1856 et 1878 sese obligavit (in congressu Berolinensi, art. 62), quae libertas in eodem congressu promissa est Catholicis variorum Statuum qui a Turcis independentiam sibi vindicaverunt, Rumaniae, Serbiae, Bulgariae, Montenegri, Graeciae, ubi ceterum pauci exstant Catholici.

III. — Tandem plane *arbitrariae dominationi* Status adhuc subiecta manet Ecclesia catholica in pluribus regionibus; ibi Status Ecclesiae leges imponit; systema illud, falso principio *subordinationis potestatis ecclesiasticae* ad *civilem* innixum, insuper *practice* oppressioni et omnimodae tyrannidi ansam praebet.

Cuius triste exemplum praebet *Russia* in qua Catholici, non obstantibus *conventionibus* a. 1847 et iterum a. 1882 sq. initis, saevissimae persecutioni fere semper obiecti sunt (ita ut integrae regiones, contra incolarum voluntatem schismati adscriptae sint) et mox, post breve pacis intervallum, vexationibus iterum premuntur.

In *Norvegia* et *Suecia* rigor legum contra Catholicos temperatus est. Magis adhuc in *Hollandia* quae vi ipsius Constitutionis, sine novis conventionibus cum S. Sede, iam ab a. 1848 fere plenam libertatem Catholicis concessit.

Borussia quae in Constitutione a. 1848 libertatem sat magnam Catholicis concesserat, vehementissimam ab a. 1872 persecutionem contra Ecclesiam movit, de qua remittere heroica cleri et populi constantia gubernium constrinxit, nondum autem recuperata etiam libertate quae a. 1872 vigebat.

(1) Falso tamen haberetur gubernium Statuum Foederatorum quasi atheismum profitens; immo religionem *christianam* agnoscit, at inter varias confessiones *neutrum* se ostendit, omnibusque ita favere intendit ut ceteris non noceat.

Ceteri *Germaniae* Status post a. 1815 saepissime ad duram servitutem Ecclesiam redegerunt, sive ob principia Regalistarum quibus imbuti erant Principes catholici, sive ob intolerantiam protestanticam. Varia *Concordata* inter S. Sedem et gubernia inita vel *practice abrogata* sunt, ut in *Bavaria* a. 1873, vel *aperte reiecta* ob dissensionem comitiorum publicorum, ut in *Regno Würtemberg* et *Magno Ducatu Badensi*. In *Saxonia* Ecclesiae libertas arctis limitibus constricta est (1).

Adhuc violentiorem persecutionem patitur Ecclesia in *Portugallia* ubi simul, hominum perversorum conatu, eversus est thronus et religio catholica odio implacabili exposita.

Vix necesse est extra *Europam* et *Americam* inquisitionem nostram extendere cum in plurimis regionibus dominentur Status Europei (v. g. Anglia in Australia et Oceania, in Indiis etc.), easdem fere in coloniis relationes cum Ecclesia foventes ac in ipsa metropoli. Extra illas regiones satis erit aliquid innuere de Imperio Sinensi, in quo non obstantibus pactis *libertatem* religionis christianae promittentibus (a. 1844, 1848, 1858, 1860) frequentes saevierunt persecutiones, quibus persecutionibus maior successit libertas, immo apparens saltem favor missionariis concessus. *Iaponia* post saevam persecutionem (a. 1870-73), abrogatis edictis contrariis, libertatem concessit christianis, et quod Imperator Leoni XIII declaraverat se eamdem Catholicis protectionem concessurum quam ceteris suis subditis, sincere et fideliter observatur.

(1) Aichner, § 47.

QUAESTIO III.

De Concordatis

Praenotanda.

I. Connexio materiae. — Nostris diebus saepissime ordinantur relationes inter Ecclesiam et Statum per *conventiones* seu *Concordata*. Si res *theoretice* spectetur, clare apparet huiusmodi pacta *absolute necessaria non* esse. Societas enim civilis *baptizatorum* iura Ecclesiae fideliter et integre agnoscere deberet: potestas ecclesiastica leges conderet de rebus spiritualibus, vel de rebus mixtis quoad respectum spiritualem; ubi autem, in rebus temporalibus vel mixtis, utraque potestas ob auctoritatem in eadem subiecta, incompossibiles forte obligationes eis imponeret, qui *status conflictus* dicitur, Ecclesia ex potestate indirecta decisiones ferret quibus societas civilis accederet.

Inde obtineretur mirabilis illa concordia, utrique societati tam proficua, quam Leo XIII post Ivonem Carnutensem, in Encycl. « Immortale Dei » graphice describebat: « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia » (1).

(1) Encycl. « Immortale Dei », § Fuit aliquando, (ed. Vatic. t. V p. 133).

Non omnis tamen deesset *occasio* pactorum et conventionum inter Ecclesiam et Statum, quibus vel *augeretur* illa *concordia* ad uberiores fructus obtinendos per ultroneas favorum concessiones, vel *praevenirentur dissidia* per mutuorum iurium accuratiorem expressionem et determinationem: ut olim per leges plures Iustiniani, et Capitularia Caroli M. et Ludovici Pii factum fuerat (1).

Ubi vero *iurgia* et *dissidia* inter utramque societatem eruperint, maxime vero quando diu protracta fuerint, vix ullum aliud *practicum* medium concordiae denuo stabiliendae suppetet, nisi recursus ad pacta et conventiones. Hac de causa merito de Concordatis agitur post Quaestionem de relationibus inter Ecclesiam et Statum; quamvis etiam apta sedes huic tractationi figatur inter varios *fontes legislationis* ecclesiasticae: participant enim naturam legis particularis et etiam privilegii (2). Immo, cum nunc cum plurimis guberniis existant Concordata fere eiusdem tenoris, *proxime* accedunt ad *ius commune hodiernum* Ecclesiae.

II. Notiones. — *a) Vox « concordatum »*, ut est *participium*, indicat id quod mutuo consensu a duobus aut pluribus statutum est; ut est *substantivum*, ipsum pactum designat. Cum generatim talia pacta conficerentur ad componendam mutuo partium consensu controversiam, dicebantur *concordia, pax, tractatus;* inde vero a Concordato a. 1801 inito inter Pium VII et Napoleonem Bonaparte, tunc Primum Consulem Galliae, vocabulum « *conventio* » quo designatum est, vim stabilis cuiusdam termini canonici obtinuit (3).

Secundum obviam vocabuli significationem, Concordatum est « consensus sive conventio auctoritatis ecclesiasticae et auctoritatis civilis, qua ordinantur relationes inter Ecclesiam et Statum circa materiam aliqua ratione utramque po-

(1) Wernz, t. I, n. 170; Bargilliat, n. 155 sq.

(2) Hinc de Concordatis inter fontes iuris ecclesiastici particularis tractant: Wernz, t. I, tit. VIII; Bargill. I, n. 152 sq.; Aichner, § 11, etc.

(3) Sic Nussi suo libro nomen dedit: Conventiones... inter S. Sedem et civilem potestatem etc.

testatem concernentem » (1). Relate ad ipsos subditos quibus obligationem aliquam imponit, habet rationem legis *ecclesiasticae* et simul legis *civilis*, cum utraque potestas auctoritative suis subditis illud imponat.

De intima Concordati natura quoad vim et naturam obligationis inde ortae, infra erit sermo, postquam de subiecto, de materia et forma breviter dictum fuerit.

b) *Subiectum.* — Ex parte societatis civilis subiectum est persona illa (vel forte personae) quae conventiones publicas et internationales inire et leges condere potest (i. e. Princeps, Praeses Reipublicae solus vel cum comitiis publicis, etc.). Ex parte Ecclesiae non repugnat quidem Episcopos de iuribus et utilitatibus particularibus suae ecclesiae conventiones inire. At certe, ex disciplina vigente, Concordata, ob duplicem praesertim rationem, R. Pontifici reservata fuere. Nam 1) alienatio iurium ecclesiae etiam particularis ipsi reservantur, necnon 2) omnes causae maiores, quibus aequiparatur cumulus aliquis causarum minorum. Iamvero cum nunc practice Concordata circa plura obiecta versentur et cum alienationibus misceantur, solius R. Pontificis auctoritati reservantur.

c) *Materia.* — Versantur generatim Concordata circa res illas quae vel mixtae stricto sensu sunt, i. e. ad utramque potestatem respectum habent, vel quamvis unius propriae, alteri tamen commodum aliquod afferunt (mixtae lato sensu, iuxta definitionem datam p. 113 in nota). Talis erit determinatio numeri festorum de praecepto, constitutio dioeceseon et parochiarum, modus nominationis ministrorum cultus etc. (2).

Saepissime erunt de *rebus temporalibus*, praesertim de *compensatione* a Statu per modum annuae allocationis praestanda pro bonis ecclesiasticis usurpatis et alienatis; aliquando etiam agetur de *renuntiatione* quam consentit Ecclesia quorumdam *iurium* natura sua *temporalium*, quae vel ex

(1) Wernz, n. 165, II.
(2) Cf. Moulart, l. IV, c. II, a. II, p. 622.

directa Status concessione vel legitima consuetudine obtinuerat.

Ex parte sua Status aliquando (raro nunc, immo rarissime) Ecclesiae *privilegia* concedit; plerumque contentus est Ecclesiae aliquam *protectionem* et *tutelam* promittere, ad quam ceterum iam tenetur iure naturali et divino (cf. dicta in Qu. II. p. 126 sq.) unde duplici titulo in posterum obligabitur, accedente nempe nova obligatione iustitiae commutativae. Saepissime ad nil aliud se obligat nisi ad *observandum* fideliter *conventionem* circa ea quae meram compensationem et restitutionem pro damnis Ecclesiae illatis continent: tunc duplici titulo iustitiae ligabitur, ex necessitate reparandi damni, ex solemni promissione restitutionis vel compensationis (1).

d) *Forma.* Triplex praecipue adhibetur forma: 1) aliquando simul habentur *duae declarationes* sive *leges* de quibus inter partes contrahentes conventum fuerat. Cuius exemplum habemus in Concordato Wormatiensi quod primo continet *Praeceptum Henrici V Imperatoris*, qua renuntians investiturae per annulum et baculum, promittit se possessiones ecclesiasticas iniuste ablatas restituturum et S. Ecclesiae fideliter auxilium praestiturum; dein *professionem* seu *Privilegium* Callisti II, qua Imperatori concedit ut electiones Episcoporum regni Teutonici in eius praesentia fiant, dat investituram per sceptrum, auxiliumque promittit (2).

2) Concordatum aliquando habetur unico contextu sub forma *conventionis bilateralis:* talis est communis forma Concordatorum modernorum, praesertim cum guberniis catholicis (sic a. 1801 cum Gallia, 1851 cum Hispania, 1855 cum Austria) (3). In ipso documento indicantur praeliminaria solemnia, nominantur plenipotentiarii, asseritur intervenisse conventio mutua cuius tenor postea refertur.

3) Tandem unaquaeque potestas separatim, quasi legem suam propriam, articulos promulgat. R. Pontifex per *Bullam*

(1) Hammerst. l. c. n. 5.
(2) Nussi, Conventiones, p. 1.
(3) Nussi, p. 139, 281, 310.

aut *Breve* dat fidelibus alicuius regionis notitiam conventionis cum gubernio initae, eamque vel integre vel per summa capita suis litteris inserit; Gubernium vero eosdem articulos, *edicto* seu *lege* ratos habet. Quae forma saepe adhibita fuit, speciatim saeculo XIX ineunte, in conventionibus cum Principibus acatholicis, qui summopere abhorrebant inscriptionem initialem solemnem in qua primus locus Papae tribuebatur. Unde utrinque communicata re per litteras *reversales* (i. e. ultro citroque missas, cum acceptatione sed minus solemni mutuarum promissionum) eaque conclusa, utraque pars articulos publicat quasi legem aliquam propriam. Huius formae sunt conventiones inter Pium VII et Regem Borussiae (a. 1821) et Principes provinciae ecclesiasticae Rheni Superioris eodem anno (1).

III. Historia Concordatorum. — Praeter Concordata quae finem imposuerunt dissidiis circa investituras, nempe Londinense cum Henrico I a. 1107 et Wormatiense supra citatum, eodem saeculo XII inveniuntur conventiones nefastae cum Regibus utriusque Siciliae et iniquissima conventio quam Hadrianus I a. 1156 cum Guilielmo I inire coactus est, ex qua « Monarchia Sicula » per extensionem iniustam terminorum iam valde durorum paulatim exstitit (2).

Sub Alexandro III habentur variae concessiones iurium patronatus quae Concordatis non immerito aequiparari possunt (3).

Exstincto tandem magno Occidentali Schismate, variae conventiones initae sunt quibus difficultatibus et controversiis exinde ortis obviam iretur: hinc Concordata Constantiensia inter Martinum V et Imperatorem Principesque ecclesiasticos Germaniae, Poloniae, Daniae, Sueciae et Norvegiae. Mox, post Pseudo-Concilium Basileense, « Concordia » seu Concordata Vindobonensia, Nicolai V cum Imperatore et Principibus ecclesiasticis et saecularibus Germaniae a. 1447 (4).

(1) Nussi, p. 188, 209.
(2) Wernz, I, n. 165 et not. 39.
(3) In l. III Decret. habetur integer tit. 38.
(4) Nussi, p. 15.

Ad abolendam Pragmaticam Sanctionem Biturícensem inivit Leo X Concordatum cum Francisco I, Rege Galliae (a. 1516).

Postea rariora facta sunt Concordata, usque ad saeculum XVIII, quando, ob multiplicata dissidia inter Ecclesiam et Statum, frequentia evaserunt. Post Conventionem Gallicam a. 1801, multae aliae sub Pio VII, Leo. XII, Greg. XVI, praesertim vero sub Pio IX locum habuerunt. Tandem post sat longam interruptionem non paucae conventiones a Leone XIII initae sunt (1).

De vi et valore Concordatorum.

De obligatione quae resultat ex Concordato pro duabus partibus non una est sententia. Omnes aliquam obligationem admittunt, saltem *fidelitatis* erga promissa aut *decentiae* illius quae tenet legislatorem vel illum qui privilegium concedit, suam sententiam non sine causa sufficienti mutare: immo violatio illius privilegii esset actus malus et peccatum coram Deo (2).

Sed habeturne ex Concordato, praesertim pro Ecclesia, *obligatio stricti iuris seu iustitiae* commutativae? De hoc disputant auctores.

Quadruplex sententia exponi potest, quarum una Catholicis nullo modo probari potest, aliae tres ipsis sunt liberae.

Theoria legis civilis. — Pro Regalistis et Protestantibus communiter, Concordata non sunt nisi *leges* a *potestate civili* latae, nullo modo pactum bilaterale utrinque obligans. Ratio ex eorum placitis sponte fluit: Status est omnium iurium fons et origo, Ecclesia ipsi plane subordinatur; pactum bilaterale duas potestates aequales supponeret, ergo Concordatum nequit esse huiusmodi. Consequenter etiam poterit

(1) Conventiones usque ad a. 1862 habes apud Nussi; conventiones Leo. XIII separatim inveniuntur in Appendice ad Acta Leo. XIII, Romae 1893.

(2) Cf. Wernz, n. 171. et not. 27 ad n. 165.

Status mutare vel abrogare Concordata (1); immo plures tenent Statum non posse sua iura alienare, quod tamen alii, v. g. Hinschius, recte reiiciunt.

Haec theoria exploditur per ea quae dicta sunt de Ecclesia ut societate perfecta, a Statu independente eique superiore.

Theoria privilegiorum. — Ecclesia Statui concedit usum aliquarum facultatum, et quidem vel ex mera liberalitate vel in remunerationem bonorum officiorum quae is praestitit (privilegia *gratuita, remuneratoria*). Si hoc facit in recompensationem oneris quod Status suscipit, habetur privilegium *onerosum* (2). Haec sententia quam post Wiestner et Schmalzgrueber tenet Tarquini (n. 73 sq.), Baldi, Liberatore (quoad rem saltem), salvat potestatem Ecclesiae quae, iuxta ipsos, verum pactum cum societate inferiori et sibi subordinata inire nequit; salvat eius iura inalienabilia quae nec in se ipsis nec in usu valido coarctari possunt; vitat tandem reatum simoniae quae in commutatione iuris spiritualis cum bono vel commodo temporali incurreretur.

Theoria pacti bilateralis lato sensu. — Intellegit Concordatum ut *pactum verum* utrimque obligans et ad utriusque societatis utilitatem. Hoc pactum non est *bilaterale sensu stricto,* ut nunc a iurisperitis sumitur, quod nempe inter *pares* concluditur, de *re nullo titulo debita,* et ita ut ex utraque parte *res pactae* sibi *aequivaleant* ad normam iustitiae commutativae. Nam non est inter pares, versatur circa res, saepe saltem, Ecclesiae iam debitas, nec habetur aequivalentia inter res pactas. Est ergo Concordatum pactum *bilaterale lato sensu,* ut olim communiter intelligebatur, quod veram obligationem inducit, etsi conditiones supra dictas possit non continere.

(1) Sic Hinschius citatus apud Hamm. l. c. n. 3.

(2) Notandum est ad verum conceptum privilegii onerosi pertinere quod concedens privilegium, illud ne valide quidem, invito privilegiato, revocare possit. Unde qui Concordata dicunt privilegia, praecise quia semper *valide* revocabilia, non possunt ea facere privilegia onerosa. Cf. Wernz, n. 162, IV cum not. 80.

Arguunt fautores huius sententiae, praesertim ex *forma* et *clausulis* Concordatorum, ex *consensu mutuo* requisito ad ea conficienda, vel qui adhibendus est ad mutandos aut explicandos articulos (1), ex *promissionibus* reciprocis sollemnibus, ex *de claratíonibus* RR. Pontificum (quas quidem infra referemus) tandem ex *communi* (?) *sententia* Canonistarum.

Hanc sententiam tenent Cavagnis, De Angelis, Palmieri (De R. Pontifice, in 2. edit., mutata priori sua sententia), Scherer, Sägmüller, Vering; necnon aliqui Protestantes ut Richter-Dove, Brendel, Bluntschli etc. (2).

Sententia media. — Quarta tandem sententia secundam et tertiam concilians, sic enuntiari valet: *Concordata non sunt simpliciter contractus onerosi nec simpliciter privilegia, at habenda sunt partim ut contractus onerosi, partim ut privilegia, pro materia et obiecto de quo in singulis articulis fit mentio.* Quae theoria per accuratiorem analysim sive conceptuum iuridicorum sive ipsorum obiectorum de quibus in Concordatis convenitur, apte conciliat id quod veri habetur in utraque sententia Catholicorum, simul a difficultatibus se extricans quae a nimis generali et absoluta assertione nascuntur.

Haec theoria ab Hammerstein p. 210 sq. propugnata, etiam a Wernz approbatur, nobisque videtur vera et sequenda.

Praenotanda. Ad rectam huius positionis intelligentiam, duo sunt praenotanda: 1) quid sit ius *precarium, quaesitum, strictum;* 2) quam obligationem secum trahat pactum *bilaterale* necnon *unilaterale* si sensu iuridico sumatur.

I. Ius *precarium* consistit in aliqua facultate vel licentia quae vero pacto non est concessa, quae proinde manet ad arbitrium concedentis revocabilis; (v. g. privilegium recitandi Breviarum hora prima p. m.). Ius *quaesitum* dat qui-

(1) Cf. art. 45 Concord. cum Hispania, a. 1851; art. 35 Concord. cum Austria, a. 1855. Nussi, p. 297, 318.

(2) Cf. Wernz, n. 172, II.

dem titulum iustitiae commutativae at non erga concedentem, sed tantum erga tertias personas; concedens tamen firmius ligatur quam per ius precarium, nempe vi fidelitatis relate ad promissa, vel titulo decentiae quia « decet concessum a Principe beneficium esse mansurum » (1). Potest semper a concedente valide revocari. Tandem ius *strictum* vel *absolutum* dat titulum iustitiae commutativae erga ipsum concedentem et quidem tam firmum ut, invito altero, valide tolli nequeat; immo aliquando fit simpliciter irrevocabile.

II. Pactum *bilaterale* dat *ius strictum* et *absolutum*. Immo « vel ipsum pactum unilaterale supponit necessario in una parte contrahente strictum ius quod sine eius consensu usurpari nequit, in altera strictam obligationem iustitiae commutativae » (2).

Principia solutionum. — Hic non agitur de quaestione mere *theorica*, ex solis principiis solvenda, sed de quaestione quae simul est *historica*. Spectare enim debemus 1) quid ob ipsam Ecclesiae constitutionem admittere cogamur vel reiicere; 2) quid ex Concordatorum ipsorum tenore seu forma asserendum sit. Haec duo concilianda veniunt, nisi velimus aut ea admittere quae Ecclesiae indoli repugnant aut supponere contrahentes et ipsum R. Pontificem lusisse verbis aut suae potestatis limites excessisse.

Ad quaestionem principiorum quod attinet, sunt iura quaedam Ecclesiae *inalienabilia*, quorum iurium ne *valido* quidem usui renuntiare valet; nam si hoc (3) fieri posset, Christus Dominus vanum quid et inane fecisset, Ecclesiam iuribus donans, eamque formis iuridicis ornans, simul autem per-

(1) R. I. 16, in VI°.

(2) Wernz, n. 172, III.

(3) Cf. Hammerstein, p. 217, Wernz, n, 172 not. 126. Quidam auctores v. g. Card. Soglia (Institutiones... Praenot. § 60 v. fin.) Barthelium secuti, admiserunt R. Pontificem *ligare* in Concordatis non quidem ius, sed *usum* iuris; quae distinctio si ad *validum* usum extenditur, ut ab his innui videtur, denuo inducit errorem Gallicanorum, de vi *coactiva* antiquorum canonum relate ad potestatem Papae.

mittens potestatem eius ad vanam umbram et apparentiam reduci. At de usu *licito* iuris diversa est quaestio: « nemo... negabit R. Pontificem quoad usum licitum suae potestatis posse ligari » (1).

Quaestio facti, seu *historica* inducitur ob expressiones fortissimas in Concordatis adhibitas quae pactum strictum indicare videntur. Sic in Concordato a. 1516, n. 27, declaratur de illa conventione: « illam veri contractus et obligationis inter Nos (Leonem X) et Sedem Apostolicam praedictam ex una, et praefatum Regem (Franciscum I) et Regnum suum ex altera, partibus, legitime initi, vim et robur obtinere ».

Declarabat Pius VII in Concordato a. 1817 cum Ludov. XVIII: « Haec Concordata habent vim veri contractus utrimque obligantis », et Leo XIII de Concordato anni 1801 loquens illud vocabat « pactum sollemne et bilaterale semper a S. Sede fideliter observatum » (2).

Probatur thesis. — I. Pars. Concordata non sunt simpliciter privilegia. « Ne simus magis catholici quam RR. Pontifices » (3) assumere debemus ipsorum assertiones et affirmationes quod Concordata habeant vim veri contractus, utrimque obligantis, quod sint pacta bilateralia, quod aequiparanda sint conventionibus internationalibus. Iamvero has assertiones non sufficienter tuentur qui dicunt Concordata esse *privilegia,* nec qui ea quidem pacta bilateralia dicentes, simul explicant *diversam* in utroque contrahente oriri *obligationem:* in Statu *iustitiae commutativae,* in Ecclesia *fidelitatis* suis promissis vel *convenientiae* (decentiae)

(1) Wernz, l. c. Laurentius, n. 982-83.

(2) Et in Epist. ad Episcopos Galliae, 16 Febr. 1892: « Un pacte solennel et bilatéral, touiours fidèlement observé de la part du S. Siège » Pius X, in Encycl. « Vehementer nos », (11 Febr. 1906), iuste conquerens de separatione consummata in Gallia inter Ecclesiam et Statum et de spreto Concordato, declarabat: « Conventio intercesserat cuius ultro et citro constaret obligatio, cuiusmodi eae sunt quae inter Civitates legitime contrahi consueverunt ». Cf. alia apud Wernz n. 165 not. 22.

(3) Wernz, n. 165, not. 27.

in non revocando privilegio a se concesso. Etenim sensu iuridico, (immo sensu qui communiter ab omnibus intelligitur), pactum *bilaterale* in utroque contrahente obligationem *strictae iustitiae* inducere intelligitur.

Qui cum Liberatore faciunt Concordatum pactum *bilaterale* at *sui generis, analogice* tantum, pro natura materiae, vel qui cum De Angelis, Grandclaude, volunt Concordata esse « *concessiones* ratione *materiae, contractus* ratione *formae* », aut mutant conceptum iuridicum pacti bilateralis et coguntur quaedam admittere quae contra terminos in conventionibus adhibitos pugnant aut etiam per distinctionem huiusmodi ansam praebent accusationibus duplicitatis et malae fidei contra Ecclesiam motis.

II.ª Pars. Concordata non sunt simpliciter (*et quoad omnes articulos*) **contractus onerosi.** — Nam R. Pontifex iura essèntialia, v. g. Episcoporum nominationem, nequit alienare, nec quoad *potestatem radicalem,* nec quoad *exercitium validum* huius potestatis. Quoad haec sibi servare cogitur iurisdictionem etiam perfectiorem quam est iurisdictio Principi per Concordatum collata. Dicere autem haberi essentiam pacti stricti et induci iustitiam commutativam, eo quod R. Pontifex usui *licito* suae potestatis renuntiat, est *mutare* conceptum iuridicum pacti; nam « facultas in rem quae, *invito* privilegiato etiam *sine causa* proportionata *valide* subduci potest, non est *ius strictum in rem,* nisi plane vagam et arbitrariam substituamus iuris stricti rationem. Ergo cum *ius strictum* non existat, etiam *pactum strictum* non oritur. Nam vel ipsum pactum unilaterale supponit necessario in una parte contrahente *strictum ius,* quod sine eius consensu usurpari nequit, in altero strictam *obligationem iustitiae commutativae* (1).

III.ª Pars. Concordata habenda sunt partim ut contractus onerosi, partim ut privilegia, pro *materia* et *obiecto* de quo in *singulis articulis* fit mentio.

a) Natura *pacti bilateralis* omnino habetur relate ad

(1) Wernz, n. 173, III.

multos articulos Concordatorum qui sunt de *bonis ecclesiasticis* usurpatis renuntiandis, vel de *iuribus non essentialibus* abdicandis, v. g. circa immunitates plures clericorum vel ecclesiarum.

b) E contra *privilegiis* omnino sunt annumeranda iura Statui concessa circa *nominationem Episcoporum* et *beneficiatorum*, cum Ecclesia renuntiare nequeat nec ipsi *iuri* nominationis, nec exercitio *valido*, at tantum *licito* usui huius iuris: id quod non sufficit ad inducendum pactum strictum. Manet tamen solvenda difficultas quae ex ipsis assertionibus et formulis petitur quibus nostram sententiam firmare intendebamus. Expressiones enim quae pactum bilaterale indicant vel repetuntur aliquando pro his articulis quae ad privilegia nos referimus, vel etiam asseruntur ad omnes articulos extendi; sic in Concordato a. 1516, art. 28 declaratur « irritum et inane » quidquid contra dispositiones ibi contentas etiam a RR. Pontificibus fieret; insuper legenti textum conventionis apparet vix aliquid ibi de bonis ecclesiasticis statui sed omnia fere ad facultates spirituales referri quas inalienabiles diximus (1). Unde sic argui potest contra sententiam nostram: vel Concordata sunt quoad omnia pacta bilateralia *stricto sensu*, (ex 3.ª sententia) et sic salvantur assertiones; vel intelligenda sunt pacta *lato sensu*, pro *natura rei* de qua agitur (et est sententia privilegiorum, sub terminis P. Liberatore).

Ad hoc respondetur, cum Cavagnis (t. I, n. 659) et Wernz (not. 119 ad n. 172) ipsas *clausulas* non esse semper tanto rigore interpretandas; nam saepissime huiusmodi clausulas invenimus per quas manifestum est R. Pontificem *non* sibi *adimere potestatem* contra agendi, at firmam *voluntatem manifestare* non secus agendi. « Hinc nullitas illorum actuum in contrarium gestorum ex *defectu voluntatis*, non

(1) Nussi, p. 35. Cf. Concordatum a. 1855 cum Austria, in cuius art. 35 dicitur: « Utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos ». (Nussi, p. 318).

potestatis R. Pontificis est eruenda » (1). Unde non ex his *clausulis* sententiam nostram probavimus sed ex ipsis claris *assertionibus* Pontificum, ubi de vi et valore Concordatorum suam mentem pandunt.

Undenam ergo petenda erit norma ad distinguendum inter varios articulos et quomodo asseri poterit Statum non decipi per affirmationes et clausulas *generales?* Inter varios articulos ex materia et obiecto discerni poterit; nec decipietur Status: nam aliquando ex ipsis terminis Concordati, saepissime ex tractatibus praeliminariis, tandem semper ex solemnibus Constitutionibus RR. Pontificum de huiusmodi Ecclesiae iuribus latis, cognosci poterit quid ut *privilegium* concedatur, quid vi pacti stricti Statui acquiratur. Sic v. g. in Concordato cum Austria, art. 41, dicitur: « Maiestas Sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos *vigore privilegii* Apostolici... ad Ipsam devoluti, a S. Sede canonice instituendos praesentat seu nominat ». Si autem in ipso pacto quidam articuli evidenter privilegia designant, cum *generi* per *speciem* derogetur, *generales* clausulae ad eos non sunt extendendae et tamen sufficienter propter alios articulos iustificantur. Et tandem saepe RR. Pontifices solemniter declararunt supremam ipsorum potestatem in his privilegiis concedendis quoad *usum validum* ligari non posse (2).

Instant. Sufficit ad salvandam naturam stricti pacti ut R. Pontifex ex iustitia se obliget ad *non utendum* suo *iure;* quod si secus fecerit, *illicite* aget, contra iustitiam peccabit, at *valide* aget. *Resp.* non debet dici pactum strictum, nisi illud quo etiam validus usus potestatis ligetur.

Instant 2.° Ratio deducta ex timore ne Status se deceptum dici queat, non valet: Status enim non curat *validitatem* nominationis a Papa factae, sed *liceitatem:* sufficit ergo

(1) Wernz, l. c., ubi refert Decretum quo Leo XIII in antecessum declarat *nullum* quidquid contra aliquam suam dispositionem, etiam oraculo *vivae vocis* R. Pontificis, decerneretur.

(2) Cf. declarationem Callixti III apud Wernz, n. 171; Innoc. V Constit. « Sollicitudo », 6 Iul. 1353; Bened. XIV, De Syn. dioec. l. XIII, c. 13, n. 19 sq.

ipsi ut ex iustitia ligetur *usus licitus* potestatis R. Pontificis. *Resp.* Si Status contentus est Papam ligari quoad licitum usum tantum, praecise hoc fit quia intelligit Papam quoad quaedam iura tantum licitum usum suae potestatis ligare posse, at quoad alia iura intendit strictum ius sibi acquirere.

Quod si quis e contra diceret: Status intendit Papam ligari circa omnes articulos etiam quoad validum usum suae potestatis, ita ut v. g. Episcopus a Papa electus absque gubernii praesentatione, verus Episcopus non sit nec iurisdictionem obtineat, facile respondetur: Status saepe sibi arrogat id quod non obtinuit; at nihil ad nos, dummodo ex terminis Concordati vel ex praeliminariis vel ex doctrina clara Ecclesiae evidenter constet quid iuris ipsi concessum fuerit, quid non. Dum magnum esset incommodum et merito S. Sedes de duplicitate insimularetur, si R. Pontifex *assereret* se ius *strictum* dare, quando non dat.

Aliae obiectiones. — Breviter responderi potest obiectionibus duabus quas fautores theoriae privilegiorum contra sententiam oppositam movent. Dicunt enim 1°: pactum *bilaterale simoniam* sapit, nam datur *ius spirituale* pro aliquo *commodo temporali.* At *negatur*, nam omittendo res temporales quae hinc inde dantur, Status praesertim *protectionem* concedit quae est aliquid spirituale. Quae promittit Status, ut scite advertit E.mus Cardin. Billot « servitia sunt, obiecto et fine plane spiritualia, utpote tota quanta ad protectionem, defensionem et sustentationem religionis ordinata » (1). Cui protectioni sine ulla simonia comparari potest ius illud revera spirituale, Episcopos nominandi etc.

2.° Theoria pactorum facit Ecclesiam *aequalem* et plane *coordinatam* Statui. Hoc etiam *negatur:* nam nullo modo repugnat societatem superiorem stricta iustitia erga inferiorem se ligare, sicut et Status erga privatos se ligare potest.

(1) Tract. de Eccl., II, p. 139.

Concordatorum interpretatio, abrogatio, cessatio.

Interpretatio. — Ex natura rei certe optandum est ut, orta controversia, dubia per amicabilem compositionem solvantur: unde enim ius natum est, inde apte accipit interpretationem; iamvero ex mutua conventione inter Statum et Ecclesiam natum est. Insuper ut vera amicitia retineatur et foveatur, convenit ut sic res procedat. Tandem saepe in ipsis Concordatis expresse cavetur: « Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et (Maiestas Caesarea, vel Regia Maiestas) invicem conferent ad rem amice componendam » (1).

Si autem controversia per amicabilem compositionem sopiri non possit, Ecclesiae est rem dirimere ex potestate sua vel *directa* in rem spiritualem aut mixtam quam abdicare non potuit, vel indirecta circa omnes materias, quando necessitas Ecclesiae hoc exigit.

Cessatio partialis vel totalis. — Huius cessationis quae haberi potest vel per *derogationem* aliquibus articulis, vel per totalem *abrogationem,* vel per *cessationem* obligationis, sine formali Concordati retractatione aut abrogatione, causae possunt esse ex parte *Ecclesiae* aut ex parte *Status*.

Ex parte Ecclesiae cessat Concordatum in casibus in quibus omnis contractus cessat, seu in quibus aliquis a contractu recedere potest aut etiam debet: 1° si altera pars promissis non stet; 2° mutatis plane conditionibus; 3° si aliud exigat Ecclesiae necessitas vel animarum salus. In omni enim pacto, praesertim vero pro Concordatis, illud tacite intelligitur: « nisi bonum publicum Ecclesiae aliud exigat »; secus enim Concordatum, nedum scopum attingeret, potius fieret vinculum iniquitatis.

His vero conditionibus deficientibus: 1° Ecclesia nequit *bonorum temporalium cessiones* revocare quae in favorem

(1) Concord. cum Austria, a. 35, cum Hispania, a. 45.

civitatum vel privatorum sunt factae, nam per donationem Ecclesiae facta sunt bona eorum; (excipitur casus quo revocari potest donatio *liberalis*).

2.° *Privilegia* autem R. Pontifex revocare potest *valide semper* (cum in his retineat supremam et maiorem iurisdictionem); *licite* ex iusta et rationabili causa: *practice* hoc nunquam faciet nisi ex causa gravissima et servatis solemnitatibus ex stylo Curiae Romanae requisitis, quod ex eorum declarationibus et constanti praxi patet.

3.° *Consuetudine* vel *praescriptione* abrogari possunt Concordata.

4.° Concessiones per *dolum* et *fraudes*, per *vim* et *metum* extortas multo magis cassare potest Papa, praesertim si de materia *illicita* factae fuerint, v. g. de iuribus inalienabilibus Primatus, vel per privilegia periculosa aut nervum ecclesiasticae disciplinae corrumpentia: talis fuit conventio Sutrina (a. 1111) per quam Paschalis II Henrico V investituram per annulum et baculum concesserat, quae a. 1112 in Concilio quodam, in Laterano habito, est revocata (1).

Ex parte Status. 1° Repetere nequit Status bona temporalia quorum dominium plenum et absolutum Ecclesiae fuit datum. Ratio est, quia donatio etiam liberalis, praesertim facta *non-subdito*, arbitrarie revocari nequit; a fortiori hoc asserendum est si *mera liberalitas* non fuit, at *restitutio* et *compensatio*, unde et obligatio iustitiae habetur et pactum illam confirmans.

2.° Si Status spopondit se *iura* quaedam *divina* Ecclesiae *defensurum* vel *agniturum*, a pacto recedere nequit. Haec enim vel ipso iure divino praestare debet. Quod si positiva et exclusiva Ecclesiae catholicae tutela Statui noxia evaderet, quin Ecclesiae necessaria maneret, tunc cessante obligatione legis naturalis, Status rescissionem petere potest, immo renuente Ecclesia, pactum rescindere. At cavendum est a periculo illusionis: et in dubio, Ecclesiae est iudicare de existentia talium adiunctorum.

(1) Phillips, t. III, § 125.

3.° Iura quae Ecclesiae non sunt reservata proprio et nativo iure, at potestati civili subesse possunt et ex Concordato subsunt, nequit tamen Status contra tenorem pacti *licite* nec *valide* mutare. Et hoc non tantum vi pacti sed quia Status Ecclesiae est inferior : unde proscripta est sententia « In conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevalebit » (prop. 42 Syllabi).

4.° Tandem si qui favores ex *mera* Status *liberalitate* concessi fuerint, ex natura actus et contrahentium intentione iudicabitur quando et quomodo hos favores repetere ipsi Statui licuerit.

QUAESTIO IV.

De immunitatibus ecclesiasticis

PARS I. DE IMMUNITATIBUS IN GENERE

(*Suarez, Defensio fidei cathol. l. IV; Schmalz. in tit. 49 l. III Decret.; Cavagnis, t. II, c. V; Gosselin, Introduction, n. 88-109; Liberatore, Diritto pub. eccles. c. IV, art. 2; Choupin, Valeur des décisions...., ad prop. 30 Syll.*).

Connexio materiae. — In superioribus Quaestionibus demonstratum est: 1) Ecclesiam esse societatem *perfectam*, a societate civili prorsus *independentem;* 2) Ecclesiam, in rebus temporalibus quae respectum habent ad finem spiritualem, potestate *indirecta* in societatem civilem gaudere hinc per modum corollarii deduci possunt variae facultates ecclesiasticae quarum aliae iam a *sola* Ecclesiae *independentia* oriuntur [1], aliae vero, quae necessario tangunt iura socie-

[1] Huiusmodi sunt ius possidendi et libere administrandi bona temporalia, ius habendi ecclesias, coemeteria et alia aedificia aut loca ad cultum vel alias Ecclesiae utilitates necessaria, cum plena independentia a legibus et praescriptionibus auctoritatis civilis; ius exercendi cultum divinum sive intra sive extra templa, per processiones, missiones et praedica-

tatis civilis, involvunt etiam considerationem potestatis *indirectae,* vi cuius in conflictu iurium limitantur potestates quaedam societatis civilis quas regulariter in suos subditos exer-

tiones etiam publicas pro opportunitate. Independentia Ecclesiae in his omnibus exercendis derivatur ex qualitate societatis perfectae, supremae non tantum in suo ordine sed etiam in omni ordine: inde sequitur eam posse libere exercere quae ad finem suum obtinendum sunt necessaria vel ~~utilia~~, curans pro posse ne ullum detrimentum ordinis publici et proinde auctoritatis civilis veniat; at in casibus dubiis pro supremo suo gradu, ipsius est controversiam dirimere: ceterum practice res collatis consiliis facile componentur quin ullum damnum et incommodum verum pro societate civili timendum sit.

De potestate Ecclesiae circa scholas requireretur longa tractatio quam invenire est apud Wernz, III, n.68 sq. et Cavagnis, t. II, l. II, c. 1. Hic tantum aliquid breviter innuetur, unde et rectum iudicium efformari possit et obiectionibus saepe occurrentibus responderi. Revera nullo modo intendimus monopolium aliquod instructionis in favorem Ecclesiae creare, quod olim existere potuit at *de facto*, non *de iure,* cum sola Ecclesia institutionem iuventutis curaret. Etenim obligatio ipsos parentes urget filiis instructionem dandi quae ipsorum conditioni sociali correspondeat, at multo gravior illos ea docendi quae ad salutem animarum pertinent: quae instructio circa fidem et mores exercetur sub auctoritate et directione Ecclesiae, quae est unica veritatis magistra et quibus munus a Christo commissum est docendi homines viam salutis. Si parentes suae obligationi desunt, eos monet, urget, coercet, eis etiam media praescribens quae opportuna iudicaverit, et tandem eorum vices supplet.

Pro instructione vero litteraria et scientifica quam genitores filiis per se ipsos dare vel nequeunt vel nolunt, sicut privatus quilibet, sic et a fortiori Ecclesia scholas erigere potest. Immo si admitti debet Statum posse suas scholas habere ut parentum negligentiam vel incapacitatem suppleat, quia instructio multum ad bonum et felicitatem temporalem conferre potest, adhuc magis vindicandum est Ecclesiae tale ius, cum et ipsa, ut societas perfecta, ea possit quae ad suum finem necessaria vel summe utilia sunt, cuiusmodi est recta iuventutis institutio. Omnino enim errat qui nihil conferre putat ad institutionem religiosam et moralem, modum quo ipsa instructio litteraria et scientifica tradatur. (Vide omnia quae de scholis neutris a Pio IX et Leone XIII declarata sunt apud Bargilliat. I, n. 567 sq.). Unde ius Ecclesiae competit scholas habendi « 1) ex libertate communi; 2) ut abundantius et tutius obtineatur catholica iuventutis institutio »; immo quandoque « ut simpliciter curetur catholica institutio quae secus nullo modo haberetur ». (Cavagnis, n. 124).

Status nequaquam habet monopolium instructionis, at partes supple-

cere potest: hae praesertim sunt *immunitates* de quibus in hac Quaestione IV tractabitur.

Definitio et divisio. — *Immunitas* in genere *definiri* potest cum Suarezio: « *privilegium* quo *res* aliqua vel *persona* a *communi* aliqua *obligatione* seu *onere eximitur* » (1). *Immunitas ecclesiastica* erit « *ius* quo *loca, res* vel *personae* sacrae a *communi onere* seu obligatione *liberae* sunt et *exemptae* » (2). Non solet vocari immunitas nisi illa exemptio quae privilegio universali in favorem *cleri* vel *ecclesiarum* innititur, non quae *tali* vel *tali loco* aut *personae* ecclesiasticae concederetur. Nomine oneris *communis* venit illud quod Status legibus *civilibus* communiter suis subditis imponit.

Dividitur immunitas in *personalem, localem* et *realem,* prout exemptio ab onere communi personam, locum vel rem *directe* et *immediate* tangit. Immunitas *personalis* clericorum comprehendit praesertim: *privilegium fori,* vi cuius eximuntur a *iurisdictione* tribunalium *laicalium ;* exemptionem a *servitio militari,* ab *oneribus personalibus* et a necessitate acceptandi

tivas pro bono communi. Pro suis officialibus praeparandis exclusive quidem competens est, immo quaedam diplomata ad securitatem publicam pro quibusdam functionibus, v. g. medicorum, exigere posse videtur. At interventio eius in scholis privatorum, multo magis Ecclesiae (exclusis penitus scholis quae ad formationem cleri destinantur in quibus Ecclesia est unice competens) limitatur per considerationem sui finis: *ea* solum potest et *eo modo* potest, quae ad hunc finem sunt necessaria (Cf. supra p. 22, 28). Unde ad solvendas quaestiones quid Status possit praescribere pro programmatibus, gradibus a magistris exigendis, examinibus, inspectionibus, etiam pro cura hygienis et ordinis servandi, semper habenda est prae oculis illa norma: Verane est an ficta necessitas quae praetenditur? Suntne pericula timenda si sibi relinquantur magistri ecclesiastici? Damnumne incurret prosperitas publica? Quod si *externa* quaedam *vigilantia* et, ut ita dicam, *negativus interventus* sufficit ad haec cavenda, ius Status non ultra extenditur. Adde quod etiam ubi *positivus interventus* admitti potest, *coercitio* in ipsas personas ecclesiasticas quae curam scholarum habent, exerceri non poterit, propter *privilegium fori.* Ceterum ipsa reverentia Ecclesiae debita exigere videtur ut Status per recursum ad auctoritatem ecclesiasticam ea determinet quae ad ordinem publicum pertinere possunt.

(1) Defens. fidei cathol. l. IV, c. 1, n. 2.

(2) Schmalz. l. c. n. 1.

munia publica; addi etiam solet *privilegium canonis,* vi cuius persona clerici ita inviolabilis et sacra fit ut nemo in eum manus violentas ferre possit quin incurrat ipso facto excommunicationem R. Pontifici reservatam: haec tamen non est nisi lato sensu *immunitas,* sed potius *lex* quaedam ecclesiastica *sanctione poenali* munita, quam Ecclesia omnibus fidelibus in favorem clericorum imponit.

Immunitas « *realis* competit *rebus* quae ad *personas* vel *loca ecclesiastica* pertinent easque a *tributorum, vectigalium* et similium *onerum* pensitatione (solutione) liberat. *Localis Ecclesias* et alia *loca sacra* aut *religiosa* concernit et in reverentiam illorum *certas actiones* fieri in iisdem *prohibet* » (1).

Ambitus immunitatis.

Ut ex definitionibus traditis clare patet, locum non habet immunitas ubi agitur de causis *spiritualibus* et *sacris:* hae causae pertinent, iure *proprio* et *exclusivo,* ad Ecclesiam, sive personas ecclesiasticas sive laicales concernunt. Unde in eas nullam unquam habuit nullamque habet competentiam societas civilis, nec *directam,* quia non sunt de propria eius materia, nec *indirectam* quae competere tantum potest societati cuidam superiori in inferiorem, Ergo *independentia* Ecclesiae quoad negotia *spiritualia* nullo modo dici potest *exemptio* ab *onere communi,* i. e. a quadam obligatione quam *communiter* suis subditis imponit societas civilis.

Immunitas versabitur circa haec negotia quae non sunt proprie spiritualia, circa has obligationes quas Status imponere potest, quarum aliae sunt *personales,* aliae *reales,* aliae tandem *mixtae. Personales* dici solent quae subditis imponuntur *sine respectu* ad *bona* eorum *patrimonialia,* veluti labor personalis, solutio alicuius pecuniae (capitatio civium) quae *omnibus per capita* imponitur; *reales* eae sunt quae ipsis *rebus*

(1) Schmalz. l. c. n. 3.

sive *bonis absque respectu* ad *personas* imponuntur (v. g. taxae circa bona immobilia); *mixtae*, quae vel *simul personas* et *bona* gravant ut si quis tenetur laborem suis expensis conficere, vel personis subditis imponuntur sed cum ordine et respectu ad bona quae possident, v. g. contributiones quae pro publica quadam necessitate exiguntur (1).

Interest adhuc observare in materia immunitatum de his obligationibus tantum agi quae a *societate civili* imponuntur, non de obligationibus *similibus* quas *Ecclesia* imponere potest (v. g. per laboris vel pecuniae praestationem): nam *immunitates* spectantur ut exemptiones a *civili* et *saeculari* onere, non ab onere quod potestas ecclesiastica imposuisset.

Origo immunitatum iuridica.

Alia est quaestio de origine *iuridica*, alia de origine *historica* immunitatum: prima versatur circa *titulum* vel *causam* qua fundantur, altera circa *tempus* in quo introductae sunt et circa *historica adiuncta* quibus ortum suum debuerunt; ibique apte inquiri potest in vicissitudines historicas immunitatum seu phases per quas transierunt, nunc pacifice possidentes, nunc impugnatae, nunc etiam partim aut totaliter sublatae.

Variae sententiae circa originem iuridicam. — *Regalistae* et plures *Gallicani* immunitates *totaliter* et *unice* a iure civili derivabant et hinc inferebant: sicut a Principibus concessae sunt, ita ab eis tolli possunt; potuerunt quidem iuste dari, at, mutato statu sociali, iustissime sublatae sunt vel tolli poterunt. Quae sententia damnata est a Pio IX, in prop. 30 Syllabi: « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit » (2). Ex hac tamen damnatione concludi non debet *nullas* unquam *exem-*

(1) Schmalz. l. c. n. 5-7.
(2) Denz.-Bann. n. 1730.

ptiones clericis et bonis ecclesiasticis ex mera Principum libertate obvenisse: condemnatur tantum affirmatio quae universaliter omnes immunitates a concessione Status repetit. Immo non repugnat quasdam concessiones Principum factas fuisse Ecclesiae per modum privilegii ad nutum revocabilis et proinde semper, *valide* saltem, a Statu tolli posse.

Inter Catholicos *triplex* praecipua habetur *sententia:* 1ª tenet immunitates esse *formaliter* a *iure divino:* 2ª eas *formaliter* a *iure ecclesiastico* repetit; 3ª tandem, quasi *media via* incedens, ab *utroque* sub *diverso* respectu.

Sententia 1ª repetit originem immunitatum a iure divino sive *positivo* sive *naturali* sive utroque simul *divino et naturali.* Dicendae quidem erunt *formaliter iuris divini positivi*, si eruuntur ex voluntate Christi per S. Scripturam aut Traditionem divinam manifestata; iuris *divinis naturalis*, si, quamvis non directe et in se per directam revelationem praescriptae inveniantur, *necessario* tamen et *essentialiter* consequuntur ad aliquod revelatum, v. g. si, posita divina institutione Ecclesiae vel hierarchiae ecclesiasticae, ipsa lex *naturalis* dictet immunitates exigi. Advertit Suarez non clare constare de omnibus assertoribus huius primae sententiae utrum ad ius divinum *positum* an tantum *naturale* appellent; hoc secundum asserit Bellarminus (1). Inter recentiores Liberatore, originem iuris *divini* amplectens, dicit immunitates esse « iuris divini *positivi* et *immediati* quoad *institutionem,* non quoad *applicationes* », quam sententiam ostendemus non perfecte secum constare et haud levibus exceptionibus patere. Aliquam conciliationem huiusmodi iam habet Suarez (2).

Sententia 2.ª dicit immunitates esse *formaliter* iuris *humani ecclesiastici,* seu originem suam trahere tantum a legibus canonicis: hanc tenent Covarruvias et Molina. **Tertia,** seu **media sententia** tenet immunitatem *originarie* quidem

(1) Suarez, l. c. c. II, n. 8. Bellarm., De Clericis, c. 29.
(2) Suar., l. c. c. X, n. 24; Liberat. l. c. n. 276, 279.

et *fundamentaliter* esse de iure *divino*, at *immediate* et *formaliter* de iure humano *ecclesiastico*, seu, ut ait Schmalzgrueber « constitutam ordinatione Dei, immo iure naturali *originaliter*, quatenus divinum et naturale ius dictat, ecclesias et ecclesiasticas personas, tanquam res Deo specialiter consecratas, cum rebus suis a saeculari potestate eximendas; humano autem *perfective*, quatenus hoc privilegium immediate a Papa et Imperatoribus constitutum est » (1). Hanc sententiam tenent praeter Schmalzgrueber, Wiestner, Lessius, plures recentiores, veluti Santi, Cavagnis, Wernz (2): immo sententia Bellarmini ab ea non multum discrepat, ut ostendit Gosselin (3). Hanc sententiam mediam amplectendam esse censemus.

1) Sic melius explicantur variationes quae cernuntur in modo quo Ecclesia erga immunitatem sese gessit, nunc ius suum per Concordata remittens, nunc acquiescens usurpationibus: quae mutationes in his quae formaliter sunt iuris divini, admitti nequeunt. Nec valet comparatio quam Liberatore instituit cum his quae modo indeterminato iure divino *positivo* praecipiuntur, a lege ecclesiastica determinanda, quoad tempus, locum, frequentiam ut praeceptum communionis, poenitentiae; nec agitur tantum de declarandis his quae qualitatem clerici prorsus dedecent, quae varia esse poterunt pro variis adiunctis: nam certe ad haec non restringuntur immunitates; id vero quod spectant negativum praeceptum Dei constitueret et quidem circa rem determinatam, ubi determinatio et variatio locum non habent. « Si enim clericis, locis et rebus Ecclesiae competit iure divino immunitas a *laica iurisdictione*, haec nihil in eas potest, eiusque leges civiles et criminales nullo modo eas attingunt » (4). Neque aptius provocatur ad comparationem cum potestate Episcoporum quae limitari vel ampliari potest, quamvis mu-

(1) Schmalz. l. III, tit. 49, n. 58.
(2) Cf. Wernz, II, n. 168 et not. 124.
(3) Gosselin. n. 91.
(4) Cavagnis, l. c. n. 123.

nus episcopale sit de iure divino; praecise enim « nos colligimus iurisdictionem Episcoporum non esse immediate de iure divino quia per hominem limitari, ampliari et variari potest » (1). Ceterum comparatio adhuc claudicat, nam sive a Christo sive a R. Pontifice immediate accipiatur, potestas Episcopi est *divina* quoad originem, dum clericus, prout *viget* aut *non* immunitas, eximitur a lege et potestate *civili* et *humana* aut ei subiicitur.

2) Ex altera parte nullum argumentum cogens habetur pro sententia quae tenet originem iuris divini positivi vel naturalis, ut videre est apud Cavagnis qui argumenta assertorum huius sententiae, necnon et Regalistarum, solide confutat. Sufficiet pro intento nostro respondere difficultati quae depromitur ex assertionibus *magisterii ecclesiastici*. Sive enim in cap. 4, De censibus etc. (III, 20), in 6°, et in cap. 30 X De iureiurando (II, 24), sive in sess. 25, c. 20, (De ref.) Concilii Tridentini asseri videtur origo divina immunitatum. At quidquid dicant aliqui, expressio « non solum iure humano quin immo et *divino*... immunes » et « de iure *divino* laici usurpare nituntur » quae in duobus primis locis habentur, cum per comparationem ad leges civiles adhibeatur, optime explicatur ut aequivalens voci « *canonico* ». Quod autem Tridentinum dicat: « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione* et *canonicis sanctionibus* constitutam », apte explicatur per distinctionem supra adductam, qua asseritur « *fundamentum* quidem immunitatis esse in ipsa *rerum natura*, ideoque in *iure divino;* insuper *iure divino* Ecclesiam potestate pollere haec sibi vindicandi; sed *proxime* pendere a *lege Ecclesiae*, vel sibi vindicante privilegia, vel rata habente quae lege civili aut consuetudine sponte inducta (sunt) » (2).

(1) Suar., l. c. l. IV, c. 8, n. 8.

(cf 4. n. 164*) (2) Cavagnis, l. c. n. 117. Eodem loco Tridentinum inculcat Principibus ut « quae ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta venerentur »; unde non est nimis urgenda haec expressio: « Dei ordinatione ».

3) Nec magis valet fingere necessitatem aliquam *iuris naturalis*, nam nulla habetur repugnantia in eo quod clerici quibusdam obligationibus communibus subiiciantur: sunt enim et ipsi membra societatis civilis; ergo tenentur leges eius servare, quamdiu conflictus non adest; atqui in pluribus capitibus immunitatum non adest; ergo in his immunitas non est formaliter ex iure divino naturali, quamvis ex quadam naturali aequitate possit repeti. Hinc potuit S. Thomas dicere: a debito « solvendi tributum liberi sunt clerici ex privilegio Principum. Quod quidem aequitatem naturalem habet » (1).

Origo historica et vicissitudines immunitatum.

Ut clarius appareant sive *origo* sive *vicissitudines* historicae immunitatum, in tres periodos brevem illam expositionem dividemus, quarum prima tempus Imperatorum christianorum complectetur; secunda periodum quae a regnis Francorum et Germanorum ad finem Medii Aevi extenditur; tertia tempora moderna, inde a saeculo XIV considerabit.

I. **Imperatores christiani.** — Non potest esse quaestio de immunitatibus sub Imperatoribus paganis, Ecclesiae infensissimis. At statim sub Imperatore Constantino M., clerici catholici, ad instar Sacerdotum ethnicorum, ab omni omnino munere sive onere personali per leges saeculares reliquis civibus imposito liberati sunt, ut divinis rebus inservirent; nempe a servitio militari, a personalibus muneribus sordidis, a stricta obligatione suscipiendi magistratus civiles vel curam et tutelam. Quae immunitas, cum quibusdam variationibus, a ceteris Imperatoribus fuit confirmata (2).

Privilegium fori non fuit directe clericis concessum a Constantino, at practice eo usi sunt propter licentiam omni-

(1) Lect. I in cap. XIII Epist. ad Romanos.

(2) Wernz, II, n. 167. Cf. L. 1, 2 sq. Cod. Theodos. De Episcop. etc. (XVI. 2). L. 6, Cod. De Episc. et clericis (I, 3).

bus christianis factam causas suas coram Episcopis tractandi; at postea agnitum est ab ipsis Imperatoribus. (Novellae Iustiniani 79, 83, 123 praes. cap. 21. Cf. hic supra p. 32).

Bona ecclesiastica exempta sunt a Constantino a tributis solvendis; quae immunitas sub aliis Imperatoribus saltem eo sensu est retenta quod Ecclesia *extraordinariis* et *sordidis* muneribus non gravaretur. (Wernz, III, 146; Cavagnis, n. 130; Gosselin, Introd. n. 90-92). Pro *locis sacris,* cum iam apud antiquos populos, praesertim apud Hebraeos vigeret ius asyli, ex reverentia adhuc maiori ecclesiis debita adlaboraverunt Episcopi ut protectio vel moderatio poenae concederetur confugientibus ad templa, cuius antiquissimum exemplum habetur petitio Episcoporum Concilii Carthaginiensis (a. 399) ad Imperatorem ut limitationes iuris asyli tolleret. Prima lex quae occurrit [L. 1. De his qui ad ecclesias confug. Cod. Theod. (IX. 45)] non *constituit* ius asyli, at illud late patuisse demonstrat. Unde videntur Imperatores tantum confirmasse ius quod consuetudo ex reverentia erga ecclesias introduxerat (1).

II. In regnis Francorum et Germanorum ob analogiam cum personis nobilibus, quae a muniis vilibus et a multis etiam aliis personalibus oneribus dispensabantur, ratione dignitatis aut officiorum a se praestitorum (v. g. servitii militaris), ipsi clerici dispensati sunt a *muneribus vilibus,* a *servitio militari,* ab *oneribus personalibus* multis (2).

Privilegium fori, post conatus multos Conciliorum particularium tandem plene concessum est clericis (Cf. conspectum histor. de iudiciis, supra p. 32).

Bonis ecclesiasticis plures exemptiones concessae, sed vicissim non pauca nec levia onera imposita, donec tandem Medio Aevo amplissima immunitas, saltem iuris Sanctionibus statuta, reperiatur (3). Quam immunitatem Ecclesia deinceps

(1) Cf. Aichner, § 203. Wernz, III, n. 448. Cf. L. 4 eiusd. tit. apud Kirch. Enchir. n. 752.

(2) Cf. Authenticam Friderici II, a. 1220, post L. 2. Cod. (I. 3).

(3) Cf. Authent. eamdem Frider. II.

per RR. Pontifices et Concilia, praesertim Lateranensia III, IV, V (a. 1179, 1215, 1512-17) fortiter vindicavit. At nunquam prohibuit quin contributionibus ordinariis vel extraordinariis ad expensas Status subveniretur ; multo minus respuit obligationes feudales vel quae contractibus aut iustitia commutativa innitebantur (1).

Ius asyli eo vel maiori extensione tunc viguit quod his temporibus magis necessarium fuerit, quando iudicia minus ordinata, lex talionis severior vigebat, etc. Unde videmus Ecclesiam illud ut *ius* sibi vindicasse iam inde a quinto saeculo et poenas contra violatores immunitatum tulisse in multis Conciliis particularibus Galliae, Hispaniae, Germaniae (2). Plures tamen *exceptiones* pro certis criminibus statuebantur, ne vanum evaderet exercitium iustitiae civilis in detrimentum ordinis publici.

III. Inde a saeculo XIV omnes ecclesiasticae immunitates impugnari coeperunt. Ipsa eorum *extensio* ansam praebuit reclamationibus guberniorum ; praesertim vero *novae theoriae* Ecclesiae infensissimae a *Marsilio* eiusque sequacibus inductae avide a Principibus acceptae sunt. Unde paulatim *privilegium fori* restrictum ita est ut nostris temporibus fere ad causas mere spirituales redactum sit (3). Quoad *onera personalia* usque ad Revolutionem Gallicam plures manserunt exemptiones, quae non raro postea ita imminutae sunt ut nunc in quibusdam regionibus vix non maneant nisi ut *exceptiones* contra clerum, ne his muneribus susceptis influxum exercere possit quem summopere timent et abhorrent gubernia. Etiam in pluribus regionibus exemptio a servitio militari non amplius conceditur clericis (ut in Gallia et Italia) vel saltem religiosis denegatur.

Immunitates *bonis ecclesiasticis* concessae, a tempore Marsilii vehementer impugnatae sunt. Ipse enim tenebat « quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt Imperatori, et

(1) Cf. Supplem. iuris priv. p. 43, 44.
(2) Wernz, III, n. 448, not. 73. Cf. Supplem. iuris priv. p. 61, 62.
(3) Cf. supra p. 81.

ea potest accipere velut sua » (1). Ecclesia quantum potuit restitit in Tridentino (sess. 25, c. 20, De reform.) et per decreta S. Sedis. At paulatim sublatae sunt immunitates illae et nunc in Concordatis vel de his siletur et tacite permittuntur gubernia taxas communes bonis ecclesiasticis imponere, vel etiam hoc explicite permittitur. Immo non raro adhuc maioribus oneribus gravantur ac bona saecularium personarum (2).

Idem dicendum est de *iure asyli* quod, inde a saec. XIV, ob guberniorum reclamationes et impugnationes, in dies fuit restrictum per auctum numerum exceptionum a iure asyli, manente tamen substantialiter antiquo iure. At post Revolutionem Gallicam fere nullibi hoc ius a guberniis agnoscitur; et fatendum est illud non eadem utilitate commendari ac Medio Aevo. Ecclesia tamen non illud expresse sustulit et in Constit. « Apostolicae Sedis » fertur excommunicatio latae sententiae R. Pontifici reservata contra « immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes » (Seri. II, n. 5) (3).

PARS II. IMMUNITATES CLERICORUM PERSONALES.

I. Privilegium canonis.

Ut iam diximus initio huius Quaestionis, privilegium canonis quo personae ecclesiasticae contra reales iniurias redduntur inviolabiles minus proprie immunitas dicendum est, at potius est lex ecclesiastica quo privilegium clericis

(1) Propos. 1 Marsilii, Denz.-Bann. n. 495. Cf. supra p. 47, 48.
(2) Cf. Supplem. iuris priv. p. 43, 44.
(3) Cf. Supplem. iuris priv. p. 62.

concessum est. Originem habet a canone 15 Concilii Lateran. II sub Innocentio II celebrati (a. 1139) quo confirmatum est et universaliter statutum id quod in pluribus Synodis particularibus contra quosdam haereticos, clerum valde indigne tractantes, statutum erat. Et haec innuisse sufficiat cum de hoc privilegio tractetur sive a Moralistis ubi de Censuris agunt (1), sive a Canonistis inter *privilegia* clericorum (2).

II. Privilegium fori.

Privilegium illud spectat exemptionem a iurisdictione laicali. Conveniens est enim ut personae ecclesiasticae ad tribunalia civilia non trahantur. « Nil enim », ait Gosselin, « aptius est imminuere reverentiam populi erga sacros ministros quam si eos ad tribunalia saecularia trahi viderit, ubi eorum lapsus reales vel putati solemniter publicabuntur et cum scandalo manifestabuntur? Quoties ex culpa aut imprudentia aliquorum tota hierarchia damnum subibit! quoties etiam ex meris calumniis et malignitate aliquorum hominum gravia haec damna provenient! » (3) Unde de ipso Constantino M. referunt Theodoretus et Sozomenus noluisse ipsum de accusationibus contra quosdam Episcopos ab aliis ad se delatis quidquam cognoscere, at studuisse eos inter se reconciliare et tunc libellos denuntiationum coram eis combussisse quin eos legeret.

Hinc dici potest privilegium fori iure *naturali suaderi* et iure *divino* quoad *substantiam* esse *institutum,* in *ultima* tamen *specie* ab *Ecclesia* esse *determinatum.* In quibus enim interventio iurisdictionis laicalis dedecus et infamiam ministrorum Ecclesiae apta est creare, dici potest ius *naturale* et *divinum* intervenire ut exemptionem ab ea dictet, quam Ecclesiae erit suis legibus determinare, sed etiam ipsius est

(1) Bucceroni, II, n. 1170; Noldin, de censuris, n. 58; Lehmkuhl, II, n. 930.

(2) Cf. Wernz, II, 163 sq.

(3) Gosselin, Introd. n. 101.

eam complere, et extendere ad *casus* et *circumstantias* quae iure *naturali* et *divino* exemptionem non videntur exigere.

Obiectiones diluuntur. — Quae superius dicta sunt de foro privilegiato clericorum (in Conspectu historico de exercitio potestatis iudicialis Ecclesiae, supra p. 77 sq.), et quae in Supplem. iuris privati (p. 72-3) tradentur, ab ampliori explicatione nunc tradenda nos dispensabunt. Unum addendum restat, scilicet brevis responsio *obiectionibus* quae contra hanc potestatem moventur, quae praesertim duae allegantur.

I. Manebunt *impunita delicta* clericorum. *Respondetur* perperam et iniuste supponi Ecclesiam, quae est custos moralitatis et virtutis, delicta suorum non repressuram.

At *instant:* cum haec delicta non ipsam directe tangant, nullum aut exiguum zelum exercebit ad ea corrigenda. Iterum *resp.:* iniuriam facis Ecclesiae, supponens eam officio suo sic deesse. Immo et ratio allata nihil valet: nam delicta haec Ecclesiam tangunt et quia peccata, et quia apta generare scandalum et contemptum clericorum.

Instant adhuc: Ecclesia non habet *media efficacia* eos coercendi. *Resp.:* si Ecclesia nunc ea media non habet, cuiusnam est culpa, ipsiusne an Status qui liberum exercitium potestatis coercitivae impedit? Si enim libera esset, patet ex antiqua disciplina Ecclesiam non defuturam esse suo officio fortiter abusus coercendi. Testis sit, inter multa alia loca cap. Novimus 27, De V. S. ubi praescribit Innocentius III « ut in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam... pane doloris et aqua angustiae sustentandum » includat falsarium quemdam Episcopus Parisiensis. Tandem convictos graviorum scelerum iuris communis Ecclesia tradere poterat brachio saeculari eosque de facto per iudicem ecclesiasticum degradatos tradebat, ut ex eodem loco clare constat (1).

II. Obiectio. Obstat privilegium fori *aequalitati* quae inter *cives* respectu *iudiciorum* adesse debet. *Resp.:* aequalitas nullo modo talis statuenda est quae oblivioni tra-

(1) Cf. Liberat., n. 284.

dat et discrimen quod ex ipsa institutione divina inter laicos et clericos statuitur et reverentiam quae clericis debetur. « Nonne miserabilis insaniae esse cognoscitur », merito exclamat S. Gregorius VII, « si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare; et iniquis obligationibus illum potestati suae subiicere, a quo credit non solum in terra sed etiam in coelis se ligari posse et solvi? » (1) Ceterum aequalitas quae merito requiritur, in hoc stat quod omnium delicta puniantur, non exigit ut ab iisdem iudicibus puniantur nec necessario ut iisdem poenis coerceantur.

Scholion. — **Exemptio a legibus civilibus.** — Connexa cum quaestione privilegii fori est quaestio illa: an *clericus* teneatur legibus civilibus? Si enim Status clericos puniri non possit, ad quid eos ligabit suis legibus? inefficacem enim diximus potestatem legiferam cui coactiva praesto non est (2).

Sed primo notari oportet, clericum non teneri ullo modo de legibus quas Status circa res *spirituales* conderet vel circa res *mixtas, qua* sunt *spirituales:* quoad has res enim prorsus est incompetens et leges eius *invalidae* essent et nullae. Idem dici debet si Status leges fert quae *immunitatibus* Ecclesiae adversantur; nisi enim Ecclesia his renuntiaverit, vel in desuetudinem abierint, vel tandem concessae fuerint ad modum privilegii precarii, ad nutum concedentis, *valide* saltem, revocabilis, (quod raro admodum et vix unquam locum habebit, aut potius de quibusdam particularibus privilegiis erit quam de immunitate omnibus clericis et ecclesiis alicuius nationis concessa), iura Ecclesiae per has leges violantur suntque *nullae* et *invalidae.*

Si autem de legibus *communibus* agitur « ex communi et certa sententia, *clerici* aliaeque personae ecclesiasticae exemptae *omnino* obligantur ad eas leges civiles observandas, quae ob publicam utilitatem reipublicae in materia clericis et laicis communi latae sunt atque sacris canonibus

(1) Epistol. l. VIII, ep. 21. Migne, P. L. CXLVIII. 597.
(2) Supra p. 32.

et statui clericali eiusque dignitati et officiis non adversantur » (3).

Si autem quaeratur quo *iure* teneatur ad illas leges servandas, triplex responsio dari solet: 1) alii obligationem repetunt ex iure *naturali*, propter aequitatem quamdam in hoc sitam quod qui commoda sentit etiam onera sentire debet, vel ad vitandum scandalum aut confusionem in societate; 2) alii appellant ad *approbationem* Ecclesiae rati habentis leges illas. Potius dicendum est, cum 3ª sententia, illam obligationem directe ex ipsa *efficacia legum civilium* repetendam esse. Clericus enim manet civis, et quamvis ab aliis civibus separetur quantum ad ea quae ministerii eius sunt, eis tamen coniungitur quoad ea quae pacem publicam et relationes mere temporales inter cives spectant (2). Et quamvis contra quasdam obligationes huius generis, ob rationes optimas, Ecclesia exemptionem suam extendere potuerit, si eam amplius non sustineat vel nunquam statuerit, potestas societatis civilis iure proprio etiam illos cives qui clerici sunt attingit. At si de coactione exercenda in clericos legum civilium violatores agatur, dicendum est eos ob *privilegium fori* a coercitione civili esse exemptos. Nullum tamen inde inconveniens habetur nec contradictio cum doctrina supra tradita de potestate coercitiva (p. 32); id enim quod per se praestare non poterit societas civilis, per ipsam societatem ecclesiasticam praestabitur, sive ipsa per se hoc curet sive ad instantiam auctoritatis civilis. Quod autem detrahi videtur potestati societatis civilis quae suam potestatem coactionis exercere prohibetur, per potestatem indirectam Ecclesiae explicatur et ceterum ex dictis de privilegio fori sufficienter deducuntur.

(1) Wernz, I, n. 108; Cavagnis, t. II, n. 107; Liberat., n. 283-84.
(2) Sic Wernz, I, n. 108 et not. 101; Bargilliat, n. 66; Liberat., n. 283.

III. Exemptio clericorum a servitio militari.

Principia. — I. Iure *divino* Ecclesia potest et debet *ministros* habere quibus regatur et sanctificetur populus christianus; potestas illa quae certe *independenter* a guberniis exercetur extenditur ad aptam ministrorum illorum *praeparationem,* sive in seminariis sive alio modo quem opportuniorem iudicaverit. Et certe, si Status ius habet inter cives suos ministros, milites, officialesve eligere et formare, non minus, quin imo magis Ecclesia hoc poterit, cui a Christo ipso commissum est munus homines docendi, regendi et sanctificandi ope duplicis hierarchiae Ordinis et Iurisdictionis.

II. Quod si ex delectu et institutione ministrorum Ecclesiae et proinde exemptione a militia, incommodum verum Statui exurgat, habetur casus *conflictus.* At primo non debet is perperam supponi. Si enim, nulla vera necessitate cogente, omnes ad servitium militare praestandum vi legis civilis obligentur, lex illa iusta non est nec ullo modo iustificatur Status qui familiis et individuis nocet, tam grave onus omnibus imponens, et adhuc magis Ecclesiae iniuriam facit, exigendo absque ulla sua necessitate ut etiam clerici militiae adscribantur.

Quid si vera quaedam necessitas oriatur, qua omnes vel multi clerici ad patriae salutem sub vexilla dicerentur esse vocandi? Hic adhuc: 1) Ecclesiae erit, in hoc conflictu iurium, de *vera* illa *necessitate iudicium* ferre; 2) ipsius etiam est decernere *utrum* et *quae incompatibilitas* habeatur inter statum clericalem et militiam. Si *talis* adesse iudicaretur ut *nunquam* et in nullo casu possent Ecclesiae ministri in exercitu functiones ullas, praeter eas quae ad sacrum ministerium pertinent, exercere, talis incompatibilitas, utpote iuris *divini naturalis,* ab Ecclesia declarari et firmiter urgeri deberet. Si non existente illa *universali* et *absoluta incompatibilitate,* tamen in *his* circumstantiis et *quale* exigitur servitium militare, conciliari nequeat cum sanctitate quae

ministros Dei decet vel cum aliis obligationibus quae clericos urgent, Ecclesia illud prohibere debebit, et haec prohibitio adhuc in *iure divino* fundatur. Sunt enim et necessitates cultus divini curaeque animarum, sunt pericula pro castitate et bonis moribus, ob quae iudicare poterit Ecclesia nullam participationem in militia permittendam esse clericis. At inde damnum magnum habebitur pro Statu? Etsi hoc haberetur, in hypothesi verificaretur conflictus ille iurium in quo praestat ius Ecclesiae. Insuper merum sophisma est non considerare alia servitia aliasve utilitates praeter eas quae palpari et numerari possunt. Quae enim clerici per curam animarum, per cultum Deo praestitum, per propriae sanctificationis studium, tandem per preces coram Deo fusas agunt ad commune societatis bonum, immerito prorsus ut nullius valoris habentur: efficaciora sunt haec media quam auxilium materiale aliquorum militum qui non sine magno sanctitatis et castitatis periculo et cum summa perturbatione servitii divini, arma gestare coguntur. Omnes Principes vere christiani hoc intellexerunt, putaveruntque se adhuc melius securitati et felicitati suorum armorum providisse, si alios *Moyses* in monte orantes haberent quam si eos inter pugnantes adesse cogerent.

Quod si aliquando tamen tanta necessitas nationem premeret ut omnium opera requireretur, non repugnaret Ecclesia si suis clericis inter pugnantes quaedam attribuerentur officia quae vel ipsorum vocationi multo melius adaptarentur, qualis esset cura infirmorum, vel saltem eos non obligarent ad pugnandum et occidendum contra mansuetudinem et caritatem eximiam ad quam ex vocatione sua vocantur, qualia essent haec servitia quae vulgo audiunt auxiliaria et extra pugnam implentur.

Solutio obiectionum. — Manet solvenda duplex obiectio quae saepius repetita non raro ipsos Catholicorum animos occupat et movet, quarum prima ad *aequalitatem* inter cives appellat, altera ad *utilitates* provocat, quae in ipsos clericos et proinde in Ecclesiam ex praestito servitio militari redundare dictitantur.

I. *Omnes cives debent oneribus communibus aequaliter contribuere.*

Ad hoc *respondetur aequalitatem* inter cives in sustinendis oneribus merito requiri: at ne obliviscamur hic agi de aequalitate ex iustitia *distributiva* non ex *commutativa; haec* quidem, non *illa* exigit aequalitatem *rei* ad *rem*. Ex iustitia distributiva exigitur ut *onera* sicut et *beneficia* inter varios cives distribuantur secundum *qualitates* personarum, habita ratione eorum *gradus, dignitatis* et *meritorum* (1). Unde sic *respondetur* difficultati: omnes cives debent contribuere aequaliter secundum *possibilitatem* et pro modo *convenienti* iuxta *qualitatem, statum* etc., *Conc.;* debent eodem *modo*, per eadem *servitia* et in eadem *quantitate, Nego*. Ipse ordo publicus et bonum sociale exigit ut unusquisque, modo convenienti suae aptitudini, suo gradui, suae conditioni, in oneribus participet. Iamvero excellenter et praecipuo modo contribuunt clerici ad bonum suorum concivium: 1) per servitia spiritualia quae longe praestant servitiis temporalibus, sed etiam 2) in ordine temporali, quia, sicut demonstratum est in Quaest. I, in Scholio, moralitas et religio efficacissima sunt ordinis et prosperitatis publicae fundamenta et fulcra (2).

II. *Utilitas maxima clericis* et *Ecclesiae* ex *servitio militari* provenit.

Resp. 1. Mirum est quam confidenter Catholici repetant quae ab ipsis acerrimis Ecclesiae hostibus recantantur, ut ipsis fucum faciant et introducere valeant in regionibus ubi adhuc non existunt, exitiosas leges quibus clerici militare coguntur! Si utile foret Ecclesiae servitium militare clericorum, non tantum zelum ostentarent ad illud introducendum hi qui Ecclesiae hostes sunt acerrimi!

Instant: est *optimum experimentum* vocationis clericorum: si periculum illud feliciter superaverint, omnibus aliis resistere valebunt; si huic cedunt, signum est ipsos onera

(1) Cf. S. Thom. 2a 2ae q. 61, aa. 1, 2.

(2) Schol. de habitudine Status ad religionem, p. 126 sq.

tremenda sacerdotis ferre aequales non esse; melius est ut antea cognoscantur et vel ipsi clericatui renuntient vel a superioribus ecclesiasticis dimittantur. Meliores fuerunt ad militandum pro Deo trecenti milites Gedeonis « qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas » quam multitudo quae « flexo poplite biberat » (1).

Haec sunt pulchra dictu, at quantum a vero distant! Qui enim periculis nimiis, nullo modo necessariis, exponitur, probabiliter cadet; dum in circumstantiis favorabilibus stetisset et confortatus esset. Si pro colloquiis turpibus commilitonum exhortationes spirituales audisset et orationi vacasset; si pro prava sociorum conversatione bona exempla ante oculos habuisset clericus, paulatim in virtute altas fixisset radices et dein contra pericula quibus necessario, ob suum ipsius ministerium obiicietur, gratia Dei adiutus, fortis et inconfusibilis exstitisset. Ceterum est classicum sophisma relate ad pericula quibus exponenda est iuventus ut ex ipsis fortior exeat contra omnes venturas tentationes. Quidam, pauci tamen, ex omnibus periculis eruuntur, ut plurimum per speciale Dei auxilium, aliquando vi cuiusdam naturalis, ut ita dicam, providentiae ob indolem frigidiorem, zelum studendi indefessum, ambitionem sese ad altiora evehendi. Quidam ob indolem debilem et ad malum procliviorem, nolentes ad media salutis recurrere, etiam inter favorabilia adiuncta a recto tramite aberrant. At inter utrosque maxima pars hominum, praesertim iuvenum, si recte adiuventur nec nimiis exponantur periculis, perseverabunt. Item videtur, proportione servata, de clericis dicendum in conservanda eorum sancta vocatione eaque rite evolvenda.

Quod si adhuc *instent* dicentes: educationem militarem optimam esse institutionem, omniumque maxime virilem, aptam dare sui abnegationem, disciplinae cultum, omnium nobilium causarum amorem.

Respondeo: esto ita esset, ubi summa cura gubernii po-

(1) Iudic. VII. 6.

neretur in avertendis occasionibus ruinae spiritualis pro militibus, et in procurandis mediis religiosis et moralibus quibus efficaciter possint a corruptione morum protegi. At haec quis sperat se inventurum in his regionibus ubi clerici militare coguntur? Quod si, ut infelici constat experientia, qui casti, morigerati profecti erant, multis vitiis dediti redeant, religionis saepe expertes vel saltem pravis moribus et consuetudinibus foedati, quis utilitates illius institutionis extollere audebit pro his de quibus speciatim dictum est: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum: Dominus, qui sanctifico eos » (1).

Sed tandem sic invectum est medium optimum *abyssum* complendi quae inter clerum et homines saeculares effossa est: ex quotidiana necessitate vitae *communis* cadunt *praeiudicia*, et sic faciliorem accessum habebunt postea ministri Dei ac eos quos docere et sanctificare debent.

Resp. 1) Quasi clerici de coelo descenderent et nullum habuissent vel habere possint commercium cum suis coetaneis et concivibus extra militiam! 2) Placeat laicis aequalitas illa quam cum Dei ministris obtinere videntur; indene facilius et praesertim efficacius clericis reddetur illud Apostoli: « Praedica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa? » (2) Esto! aliquando faciliores erunt relationes. Exiguum plane emolumentum, si cum magna imminutione reverentiae, filialis amoris et timoris ematur; et forte ad nihil inserviet nisi ut ipsum clericum ad huiusmodi relationes cum suis antiquis commilitonibus habendas trahat, quibus nihil commune erit cum coelesti conversatione quae ministros Dei decet et sola animas lucratur.

Conclusio. — Ceterum, ad absolvendam hanc quaestionem, sufficiet animadvertere Ecclesiam quae Medio Aevo clericis et ipsis Episcopis, ad arma promptioribus, militiam interdicebat (3), nunc constanter resistere conatibus guber-

(1) Levit. XX, 8.
(2) II Tim. IV, 2.
(3) Cf. Decret. Grati. C. XXIII, q. 9.

niorum quae clericos militare cogunt, et in Syllabo condemnatur prop. 32: « Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta » (1).

IV. Exemptio ab oneribus personalibus.

Ratio cur clerici ab oneribus personalibus eximi debeant, iam a Constantino M. his verbis enuntiabatur « qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est hi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis avocentur » (2). Quae enim munia onerosa sunt et clericum negotiis saecularibus implicant, a suis officiis spiritualibus eum deturbant et amovent. Quae autem vilia sunt statum clericalem dedecent.

Ex dictis de militia sufficienter apparet quomodo contra istam exemptionem ad *aequalitatem* inter cives appellari iure nequeat: nam non tenentur *omnes* cives *eodem modo* ad bonum commune conferre. Insuper si aliqua vel ministros Dei dedecent vel contra officia eorum ministerii pugnant, praestant Dei et Ecclesiae iura iuribus quae allegare posset societas civilis.

Ceterum silentio praeteriri non debet nunc libentissime Status tueri et urgere huiusmodi exemptiones a muniis publicis exercendis, iis praesertim quae ad electionem concivium obtinentur, quas *exemptiones* in *exclusiones* mutant; eas iustificant vel quia clerici sunt gubernii *officiales,* vel quia maxima esset confusio et perturbatio si ministri religionis

(1) Denz.-Bann, n. 1732. Cf. Epist. Leonis XIII ad Cardin. Nina, 27 aug. 1878.

(2) 21 oct. 319. Cod. Theod. 4. 2, De Episc. etc., (XVI. 2) Kirch, Enchir. n. 756.

suo influxu spirituali in res temporales cum magno detrimento aliorum libertatis uti possent. Haec ultima ratio forsan eumdem « sacrilegum livorem » sapit, quamvis cum effectu prorsus contrario, quem indicabat Constantinus M. Prior etiam est reiicienda: nam etsi aliquando Status ministris cultus stipendium praestet, non inde fiunt eius *officiales*, at vel sic pro suo officio ad cultum divinum adiuvandum confert Status, vel, ut plurimum, stipendium est mera et valde levis compensatio pro bonis ecclesiasticis a guberniis iniuste occupatis. Nullus autem eius fit servus aut officialis a quo reparationem damni accipit.

De exemptione reali et locali tractare non vacat cum in Supplemento iuris privati sedem invenerint ubi de bonis Ecclesiasticis (p. 43-44) et de locis sacris (p. 61-62). Unde hic finem imponemus his Quaestionibus iuris publici.

A. M. D. G.

INDEX

AUCTORUM SAEPIUS ALLEGATORUM

AICHNER, *Compendium iuris ecclesiastici*, ed. 11. Brixinae, 1911.

BARGILLIAT, *Praelectiones iuris canonici*, ed. 25. Parisiis, 1909.

BELLARMINUS, *Disputationes de controversiis christianae fidei* (Controv. 3. libri I est *de R. Pontifice*; Controv. 2. libri II est de *Clericis, Monachis, Laicis.*

BIANCHI, *Della potestà e della politia della Chiesa*, Romae, 1745.

BIEDERLACK, Ios. *Institutiones iuris ecclesiastici, de fundamentali Ecclesiae constitutione*, Romae, 1907 (ad usum priv.).

CAVAGNIS (Card.) *Institutiones iuris publici ecclesiastici*. citatur ed. 3. Romae, 1896.

CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège*, Paris, 1906.

GOSSELIN, *Pouvoir du Pape au Moyen Age*, Paris, 1845 (sine nomine auctoris).

HAMMERSTEIN, *De Ecclesia et Statu iuridice consideratis*, Treviris, 1886.

HERGENRÖTHER, (Card. Ios.) *Katholische Kirche u. christlicher Staat*, Friburgi, 1872. (*La Chiesa cattolica e lo Stato cristiano*).

HERGENRÖTHER (PHIL.) *Kirchenrecht*, ed. 2. (Dr. J. HOLLWECK), Friburgi 1905; citabitur hoc modo: Herg.-HOLLW.

LAURENTIUS, *Institutiones iuris ecclesiastici*, ed. 2. Friburgi, 1908.

LIBERATORE, *Diritto pubblico ecclesiastico*, Prato, 1887 (trad. franç. Paris, 1888) — *Institutiones Ethicae et Iuris naturae*, ed. 7. Prati, 1880.

MOULART, *L'Eglise et l'Etat*, ed. 4. Louvain, 1895.

PHILLIPS, *Kirchenrecht*, 7 vol. (incompl.) Regensburg, 1855 sq. (*Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, trad. CROUZET, 3 vol. (tria. prima volum. operis germanici), Paris 1850.

SCHMALZGRÜBER, *Ius ecclesiasticum* (seu: *In Decretal. Gregor. IX*).

SUAREZ, *Defensio fidei catholicae.* — *De Legibus.*

TARQUINI, *Iuris ecclesiastici publici institutiones*, ed. 21. Romae, 1908.

WERNZ, *Ius Decretalium*, ed. 2, Romae, 1905 sq. *Folia lithographica de iudiciis*, Romae, 1889; *de Poenis*, 1907, hoc modo citabuntur: WERNZ, *De iud., Lithog.* etc.

INDEX ALPHABETICUS

Numeri referuntur ad paginam ubi incipit tractatio materiae indicatae.

A

Acatholici et Ecclesia 165.
Administrativa potestas societatis perfectae 30; Ecclesiae 74.
Advocatiae ius 98.
Appellatio tanquam ab abusu 106.

B.

Baptismus ianua ingressus in Ecclesiam 110.
Bellarminus et potestas Ecclesiae indirecta 146.
Bonifacii VIII *Const.* « *Unam Sanctam* » 137.

C.

Causae temporales 111; spirituales 111; mixtae 113.
Cavendi ius 98.
Clerici Cfr. vv. Immunitas, forum, leges, militia.
Coercitiva potestas societatis perfectae 32; Ecclesiae 82 sq.
Concordatum. Notiones 193; subiectum 195; materia 195; forma 196; historia 197; Vis et valor 198; interpretatio, cessatio 207.

D.

Depositio Regum 151.

E.

Ecclesia est societas publica 13, necessaria 14; perfecta 56 sq.
Ecclesiae potestates. Errores 45 sq. Potestas legifera 70; administrativa 74; iudicialis 75; coercitiva 82. Relationes cum Statu: varia systemata 115. Refellitur potestas directa 119; mere directiva 132 sq.; plena independentia Status 132 sq. Statuitur potestas indirecta 132 sq; eius extensio 149. Historia relationum 174.
Ecclesiae relationes ad infideles 161; acatholicos 165, Statum « neutrum » 172.

Extranei societati perfectae 36; Ecclesiae 110.

F.

Febronii systema 51.
Fori privilegium 77 sq. 223.

G.

Gallicanorum errores de potestate Ecclesiae 49, obiectiones contra potestatem indirectam 157; contra potest. Ecclesiae in Princípes 149.
Gladii ius 90.

H.

Haereticorum relationes cum Ecclesia 165; et Statu catholico: principia 168; historia 168.

I.

Iansenistarum errores de Ecclesiae potestate 51.
Immunitatis ecclesiasticae notiones 211; ambitus 214; origo historica 219; origo iuridica 215.
Immunitates personales 213, 222.
Infidelium relationes cum Ecclesia 161.
Innocentii III. *Const.* « *Novit* » 140; « *Per Venerabilem* » 141; « *Venerabilem* » 142.
Iosephinismi systema 51.
Iudaei et Ecclesia 164.
Iudicia civilia (potestas Ecclesiae in) 149.
Iudicialis potestas societatis perfectae 31; Ecclesiae 75.
Iura in Sacra et circa Sacra; majestatica 97.
Ius. Iuris universim sumpti notiones 3; Iuris ecclesiastici notiones, appellationes 6; divisiones 8; Ius cavendi, inspectionis, reformandi, regendi, protegendi 98.

L.

Leges civiles (potestas Ecclesiae in) 149. An clerici eis subdantur? 225.
Legifera potestas societatis perfectae 27; Ecclesiae 70.
Libera (Ecclesia) in Statu libero 116.

M.

Marsilii Patavini systema 47.
Militia (exemptio clericorum a) 227.

N.

Novit (*Constit.*) 140.

O.

Onera personalia clericis non imponenda 232.
Optatus Milevitanus et potestas Ecclesiae 158.

P.

Per Venerabilem (*Constit.*) 141.
Placitum regium 101.
Poenae corporales in Ecclesia 85.
Poena mortis 90.
Positivistarum errores de Ecclesiae potestate 53.
Principes (potestas Ecclesiae in) 149; an eos deponere possit? 151.
Privilegium fori 77 sq. 223.
Protegendi jus 98.

Protestantium errores de potestate Ecclesiae 46; systemata circa potestatem Status in Ecclesiam 96; relationes cum Ecclesia 165.

R.

Reformandi ius 98.
Regalistarum errores de Ecclesiae potestate 49.
Regendi ius 98.
Religio et societas civilis 126.
Res temporales, spirituales 111; mixtae 113.
Richerii systema 49.

S.

Sacra (iura *in* et *circa*) 97.
Schismatici et Ecclesia 165.
Societas in genere. Notiones 11; divisiones 13.
Societas civilis (cf. Statum); ecclesiastica (cf. Ecclesiam).
Societas perfecta. Notiones 16; potestas in sua membra 20; legifera 27; administrativa 30; iudicialis 31; coercitiva 32. Potestas in extraneos 36.
Status est societas publica 13; necessaria 14; perfecta 18; independens in sua sphaera 119; officia habens erga religionem 126; subiecta potestati indirectae Ecclesiae 132.
Status praetensa iura in Ecclesiam refelluntur 96. Relationes inter Ecclesiam et Statum infidelium 161, acatholicorum 165; indifferentem 172.
Status catholicus et haeresis 168.

T.

Tolerantia dogmatica 165; practica 166.
Tutela religionis est officium Principum 128.

U.

Unam Sanctam (*Const.*) 137.

V.

Venerabilem (*Const.*) 142.

INDEX ANALYTICUS

PRAENOTIONES.

I. Iuris ecclesiastici notiones et divisiones . . . . . PAG. 3
Iuris universim sumpti notiones . . . . . » 3
Iuris ecclesiastici notiones, appellationes, divisiones . . . . » 6
II. Societatis in genere notiones et divisiones . . . . . » 11
III. De potestate societatis perfectae.
A. Potestas in propria membra . . . . . » 20
I. Principia generalia . . . . . » 21
II-V. Potestas legifera, administrativa, iudicialis, coercitiva . » 27
B. Potestas in extraneos . . . . . » 35

QUAESTIO I. POTESTAS ECCLESIAE IN SUA MEMBRA.

I. Errores de potestate Ecclesiae . . . . . » 45
II. Ecclesia est societas perfecta . . . . . » 56
III. Potestates Ecclesiae in specie . . . . . » 69
A. Potestas legifera . . . . . » 70
B. Potestas administrativa . . . . . » 74
C. Potestas iudicialis . . . . . » 75
Scholion. Conspectus historicus de exercitio potestatis iudicialis. » 77
D. Potestas coercitiva . . . . . » 82
Appendix I. De poenis ecclesiasticis temporalibus . . . . . » 88
Appendix II. De iure gladii . . . . . » 90
IV. Iura praetensa Status in Ecclesiam.
A. Generalis expositio et confutatio. . . . . » 96
B. De Placito regio . . . . . » 101
C. De appellatione tanquam ab abusu . . . . . » 106

QUAESTIO II. RELATIONES INTER ECCLESIAM ET SOCIETATES CIVILES.

Pars I. Praenotiones.
Status quaestionis; notiones; varia systemata . . . . . PAG. 109
Pars II (Thesis I). Reiicitur potestas indirecta Ecclesiae in Statum » 119
Scholion. De habitudine societatis civilis ad religionem. . . . » 126
Pars III (Thesis II). Statuitur potestas indirecta Ecclesiae in Statum . . . . . » 132
Extensio potestatis indirectae. *Principia* . . . . . » 145
Applicatio quoad leges; iudicia; personas . . . . . » 149
Depositiones Principum. Facta; explicationes . . . . . » 151
Solvuntur obiectiones . . . . . » 157
Scholion I. Ecclesia et infideles . . . . . » 161
Scholion II. A. Ecclesia et acatholici . . . . . » 165
B. Status catholicus et haeresis. Principia et notae historicae. . » 168
Scholion III. Ecclesia et Status «indifferentismum» profitens. . » 172
Pars IV. Conspectus historicus relationum inter Ecclesiam et Status . . . . . » 174
A. A fundatione Ecclesiae ad Constantinum M. . . . . » 175
B. A Constantino ad Bonifacium VIII . . . . . » 176
C. A Bonifacio VIII ad Reformationem. . . . . » 181
D. A Reformatione ad tempora praesentia . . . . . » 184
E. Actualis relatio Ecclesiae et Status in variis nationibus » 188

QUAESTIO III. DE CONCORDATIS.

Pars I. Praenotanda . . . . . » 193
Notiones: nomen, subiectum, materia, forma Concordatorum » 194
Historia Concordatorum . . . . . » 197
Pars II. De vi et valore Concordatorum . . . . . » 198
Varia systemata . . . . . » 198
Principia solutionum . . . . . » 201
Concordata sunt partim privilegia, partim contractus onerosi » 202
Pars III. Concordatorum interpretatio et cessatio . . . . . » 207

QUAESTIO IV. DE IMMUNITATIBUS ECCLESIASTICIS

Pars I. Immunitates ecclesiasticae in genere . . . . . » 211
Ambitus immunitatis ecclesiasticae . . . . . » 214
Origo iuridica . . . . . » 215
Origo et vicissitudines historicae. . . . . » 219

Pars II. Immunitates personales clericorum . . . . . PAG. 222
I. Privilegium Canonis (remissive) . . . . . » 222
II. Privilegium fori . . . . . » 223
Scholion. Exemptio a legibus civilibus. . . . . . » 225
III. Exemptio a servitio militari . . . . . » 227
IV. Exemptio ab oneribus personalibus . . . . . » 232

5962